


VVITTEMBERGAE EXCVDEBAT  
IOHANNES LVFT, ANNO  
M. D. XXX.

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



**HOMI**  
**LIAE VIGINTI**  
 dug, Sub incurfionem  
 Turcarum in Germa-  
 niam, ad populū difte.  
**AVTORE IOAN-**  
**NE BRENTIO.**  
 Cum Praefatione D.  
 Martini Lutheri.  
 Viteberge 1. 5. 52.

A 2. No 944<sup>a</sup>  
 1151

PRAEFATIO D. MARTINI  
LUTHERI IN HOMILIAS  
D. BRENTII.

QUANQVAM OMNIS ERV-  
ditio & admonitio frustra sit apud  
induratos homines, Sicut etiam, Esaias que-  
ritur, frustra percuti populum induratum  
a Domino, nos tamen qui in officio docendi  
sumus non debemus uel a docendo uel mo-  
uendo cessare, Sicut nec Hieremias cessa-  
bat, licet uideret se nihil apud pertinaces  
Iudeos efficere posse, donec re experiren-  
tur quae minabatur Propheta, quare adhor-  
tatorij hi sermones D. Iohannis Brentij ualde  
mihi placent & omnino dignos iudicauit,  
qui aderentur, Si qui forte (id quod Deus  
faxit) ad poenitentiam per eos reuocan-  
tur. Nam hoc necessitas fateri cogit, quod  
& Brentius & nos omnes libenter consule-  
remus periturae Germaniae, Quanquam ue-  
reor ne frustra sit conatus noster, & indu-  
rati ac pertinaces illi, breui nostram Pro-  
phetiam de futura calamitate, quam nunc ri-  
dent, aut secure negligunt sint confirmatu-  
ri,

P R A E F A T I O.  
ri, & turpe illud poenitentiae germen cantu-  
turi, Non putaram, Non crederam.

Didicerunt iam ex nobis quod magistra-  
tus sint colendi, ut pote quos Deus ordinauit,  
& quia confirmauimus & consolati sumus  
nostrorum animos contra Turcam & sedi-  
tiones, his freti, adeo securi sunt, perinde  
atq; si nullum periculum usquam sit reliquum,  
& quasi Turca eos metuere cogatur. At-  
qui nos hoc non uoluimus consolationibus no-  
stris, ut temerarios & proteruos omni libe-  
raremus metu, & prorsus securos redde-  
remus. Neq; enim satis est te nosse quod sis  
in bono genere uita quod Deus probat, Sed  
Deus praeter hoc, etiam illud a te exigit ut  
in timore & humilitate sibi seruias. Neq;  
te ita in tuum uita genus collocauit, ut se-  
cure cofruaris. Sed sicut in secundo Psal-  
est, Vos Reges, inquit intelligite, & seruite  
domino in timore Quare uult sese metui, quod  
si non feceris, non curabit tuum uita genus  
quantumcumq; sit sanctum, & diuinitus con-  
stitutum. Sed praecipitabit te sicut sequitur  
in eodem Psalmo. Ne irasatur, & uos pere-  
atis de uia.

P R A E F A T I O.

Ego sane si Turca denuo (id quod pro certo ferunt) in Germaniam irrumpat, meo tuo ne grauiter nos sit afflictorum Nos enim Germani, non solum non poenitemus de nostris grauis. peccatis, sed etiam quo uiciorum hostis est, eo turpius & magis soluti ac securi uiuimus. Quare periculum est ne graues poenas in nos Germanos pro tantis peccatis Deus sit expetiturus, quas breui, maximo nostro incommodo, luemus. Sed quid potest fieri amplius? Satis sumus admoniti, satis nobis predictum, scriptum, pictum, & cantatum est, quid faciendum sit, & quid sit obmittendum, Nihil igitur aliud reliquum est, (si quidem omnino ita fieri necesse est) quam ut Deus eripiat suum Loth, & sinat Sodomam & Gomorrhani ea experiri, quae iam cum praedicuntur, neque credere nec audire uolunt. Nos ministri uerbi sumus excusati. Sit uniuscuiusque sanguinis super caput suum, Commendo autem hunc libellum omnibus pijs Christianis ut eum diligenter legant.

Deus gratiae misereatur nostri in Christo  
& non faciat nobis secundum merita nostra  
A M E N.

Optimo

OPTIMO VIRO D. VITODIE-  
THRICH NVRNBERG. FRA-  
TRIS VO IN CHRISTO  
AMICISSIMO

IOHANNES BRENTIUS.



VMPROXIMO ANNO  
Vite amicissime, Turca, hostis  
non tam crudelitate, quam impie-  
tate terribilis, Viennam Aus-  
triae, magna mole obsideret, & alia clades,  
nunc peregrinae pestis, quam Anglicam uo-  
cant, nunc famis, aliam subinde apud nos ex-  
ciperet, existimabam mei muneris esse, ut  
selectas aliquot e diuina scriptura Historias,  
ecclesiae ministerio meo commendatae, inter-  
praeterer, & securis quidem adhuc, terro-  
rem, ostensa ira Dei, incuterem, territos au-  
tem, clementia Dei ob oculos posita, conso-  
larer, adeoque rationem eis demonstrarem,  
qua saluti suae, in tanta omnium rerum turba  
& calamitate consulerent. Potissimum au-  
tem, quicquid id est, insignioribus, aliquot ex-  
emplis e sacra scriptura petitis, agere li-  
cuit, quod genus docendi per exempla effi-  
cacissimum

causissimum esse, multi diligenter obseru-  
runt, & res ipsa perspicue indicat. Etenim  
ut uestigia eorum, qui in auio aliquo, & in-  
solenti itinere præcesserunt, sequentes ad  
eandem uiam capeßendam trahunt, ita san-  
cta maiorum exempla, posteriores natura  
sua, itinera nondum trita abhorrentes, ad  
illorum studia sectanda inuitant. Et quem  
admodum facule ardentes, si somiti admo-  
ueantur, continuo illum accendunt, ita re-  
rum gestarum exempla, pectus humanum,  
alioqui frigidissimum ingenti sectandi ar-  
dore inflammant. Quod si mutæ ac mora-  
tue clarorum uirorum statuae & imagines,  
intuentium animos ad imitanda forcia illo-  
rum facta commouent, quanto magis sacra  
exempla, quæ sunt uiuæ ac loquaces rerum  
statuae, animum humanum, alioqui natura  
sua ingenio torpescentem, quasi stimuli qui-  
dam, ad capeßenda meliora, & fugienda pe-  
iora excitant.

Iam, DOMINVS Deus noster, nusquam  
clarius, nusquam manifestius, affectus suos  
cognobiles reddidit, quam in rerum gesta-  
rum exemplis. Vis potentiam Dei agnos-  
cere? exempla eam tibi expressissime adum-  
brant

brant. Vis clementiam eius scire? ab exem-  
plis accuratissime perdisces. Vis seriam iræ  
eius uehementiam contemplari? exempla  
tibi eam clarissime ob oculos ponunt, atq;  
adeo in exemplis, ueluti in speculo, om-  
nium serme Dei affectuum simulacra, perspi-  
cue representantur.

Quid, quod Christus princeps operosi  
& efficacis spiritus doctor, non alio doctri-  
næ genere frequentius utitur quam parabola-  
rum, quas autores quidam ab exemplis  
non separant, aut quam minimum separant.  
Itaq; ratus sum, si non ualde utilem, certe  
non inutilem operam me nauaturum, ut cum  
alij de apparatu belli aduersus Turcam ge-  
rendi, solliciti essent, ego interim commemo-  
ratione rerum prius gestarum, quas scri-  
ptura refert, uulgum ad respiciendam hor-  
rere.

Hæc autem, qualiacumq; sunt, tuo nomini,  
Vite amicissime, dedico, & rogo, ut inep-  
cias meas, sic enim uoco, non ipsas hostias,  
& sacra scriptura petitas, quas qui nescit esse  
auctoritate sua grauissimas? sed sordes meas,  
quas illeui, boni pro candore tuo consulas.  
Non enim eas tibi dedico, quod cupiam, ut  
in his

in his perlegendis, bonam horæ partem,  
male perdis, Sed ut hoc testimonio ceu pi-  
guore, amorem meum erga te declarem.  
Gratissimum igitur offitium mihi facies, Si  
ut ego te amore complector, ita uicissim me  
in Christo Iesu candide redames. Sic enim  
incantabis me amatorio, ut ille ait. Si-  
ne medicamento, sine herba, sine ul-  
lius uenefica carmine. Vale, ex  
Hailasueuorum, Et uita, iu-  
xta nomē tuum, tran-  
quilla fructu, ac  
DOMINVM  
pro me  
ora.

## HOMILIA PRIMA.



Superioribus diebus amicissimi,  
recepisti me, de ineunda aliqua  
uia ac ratione, qua crudelita-  
tem Turca, quo metu hoc tem-  
pore omnis Germania contre-  
misit, euitare, ac propellere  
possimus, non nulla pro medio  
critate mea dicturū. Aequum  
igitur fuerit, ut cum pollicitis meis, debitorem meip-  
sum constituerim, debitū quoq; exoluam, quando hoc  
ipsum postulat, non tam presentium calamitatu con-  
ditio, quam conuentus uester longe omnium frequen-  
tissimus. Tametsi enim promissum debitum, uoce non  
exigatis, intelligo tamen ex frequentia multitudinis  
uestre, omnium uota huc respicere, ut pollicitis satisfa-  
ciam.

Nec mihi magnopere sudandum uideo ut animos  
uestros attentos reddam, qui ppe quos imminentis pe-  
riculi magnitudo ita commouet ut eos a bene consu-  
lente peregre abesse, minime paciatur. Turca enim ut  
amniuersarius et hereditarius, ita crudelissimus Chri-  
stiani nominis hostis, non hoc contentus, q; proximis  
annis, Rege Vngaria trucidato, eam Regionem gra-  
uissimis malis affecerit, nunc etiam Germaniæ bellum  
infert, Urbem Austriæ, Viennam, patriæ multorum  
Regum

HOMILIA PRIMA.

Regum & Cesarum Romanorum metropolim ingenti exercitu obsidet, adeoq; ferocia sua, non tam toti Romano imperio, quam uniuerse Christiane religioni exitium minatur. Quo igitur nos in hac maxima omnium rerum perturbatione uertemus? quid consiliū capiemus? alius fortunam publicam questibus iterat, alius se uicium Turcæ uirulentissime execratur, alius ad arma clamat, paucissimos audias, qui ad DOMINUM deum nostrum clament. At Turca is hostis est, qui nec mulieribus querelis, nec uirulentis execrationibus, nec solis carnalibus armis, e finibus nostris pellitur. Longe igitur alia uia incunda est, quæ Turcam profligamus.

Porro autem, nemo expectet me nunc de magistratus ciuilibus officio, quod ad bellicum apparatus attinet, dicturum. Etenim, cum Turca, nulla legitima causa, sed mera regnandi cupidine, & crudeli tyrannide in fines Romani imperij incursionem faciat, & non solum in uiros uerumetiam in mulieres atrocissime seuiat, innocentes pueros trucidet, pregnantes medias dissecet, adeoq; in obuia quæq; crudelissime grassetur, ciuilibus magistratus interest. Primum ut ex fide agnoscat administrationem gladij sui, esse legitimum dei uocationem, huc ordinatam, ut subditi a tyrannide hostium, presertim a crudelitate & latrocinio Turcæ, hostis omnium accerrimi defendatur

Deinde

IOANNIS BRENTII.

Deinde, ut pro sua uacatione, pedites & equites eligat, exercitum conscribat, præsidia undiq; accersat, arma, tela, & cætera instrumenta militiæ, ad hoc conmeatum, deniq; omnia, quæ in bello uario & multarum rerum egenti usui esse solent, paret, hostem fortis, ut Ethnici dixerunt, animo, ut nos uerius dicimus, fide aggrediatur, & feriat. Hæc inquam, nihil modo ad ecclesiasten concionantem, non publicis magistratibus, nec ijs, qui tuba bellica exciti, in campo ad committendum prælium cum hostibus, conueniunt. Sed ijs, qui priuati sunt, & domi remanent, ac tintinnabuli pulsu uocati, ad communes ecclesiæ preces in templo congregantur.

Quid ergo? alijs pro salute patriæ, corpora sua periculis belli exponentibus, & multos labores pro reipublicæ tolerantibus, nobis ne licet torpidis, ignauis & securis domi ociari & stertere? Et ut Vriæ uerba non nihil nobis accomodemus, Num exercitu populi Christianorum habitante in papilionibus, & super faciem terræ, aduersus communem hostem cubante, imo perpetuas fere uigilias agente, conuenit, ut nos ingrediamur domos conuiuiorum, epulemur, potemus, genio indulgeamus, & uoluptati operam demus? Absit a nobis tam barbara impietas, quin potius sic existimemus, totam huius belli, quod aduersus Turcam nunc geritur, molem in humeros nostros incumbere, & in nobis

B

nobis

HOMILIA PRIMA

nobis qui domi remanemus situm esse, ut nos ter exercitus uel hostem uincat, uel ab hoste uincatur. Quid hoc inquis? num ociosi, inermes, & longo interuallo, tam a nostro, quam ab hostium exercitu distantes, aliquid auxiliij aut praesidij, uel nostris uel aduersarijs conferre possumus? Profecto, si obseruamus, unde tantum roboris Turcae accedat, ut ferme cum nullo suorum hostium congregiatur, quem non uincat, nullam Christianorum gentem adeat, quam non calcet, & unde nostris tam muliebris impotencia & imbecillitas, ut etiam aspectu Turcarum terreantur, tantum abest ut fortiter resistant, manifestissime apparebit, nos illos ipsos esse, qui Turcam non solum truce & crudelem, sed etiam fortem, ualidum & potentem uictorem, nostros autem imbelles infirmos & impotentis uictos efficiamus. Etenim, ut nec maior armorum & equorum copia, aduersarium nobis forciores ita nec minor earum rerum copia aduersarium nobis imbecilliores reddit. Alia res est, qua uires aduersariorum adiuantur, & nostrae debilitantur, nimirum impietas, peccatum, iniquitates, & scelera, qua a nobis aduersus deum & proximos nostros impudenter & praefracte designantur. Haec inquam, sunt, quae Turcam toties uictorem, nostros uero toties uictos efficiunt.

Ne igitur existimetis nos uana somniare, scripturae testimonij

IOANNIS BRENTII.

testimonijs ostendemus, aduersarios non ab armis & equis suis, sed a peccatis & sceleribus eorum, quibus cum bellum gerunt, robur accipere & fortitudine superare. Si in preceptis meis (inquit Dominus) ambulaueritis & mandata mea custodieritis, persequemini inimicos uestros & corruent coram uobis, persequentur quinque de uestris centum alienos & centum de uobis decem milia. Rursus, si non audieritis me, sed spreueritis omnia mandata mea, ponam faciem meam contra uos, & corruetis coram hostibus uestris & subiciemini his qui oderunt uos, fugietis nemine persequente. Et iterum, Vtinam scirent & intelligerent, quomodo fiat quod sequatur unus, mille, & duo fugent decem milia. Nonne ideo, quia petra eorum uendidit eos, & Dominus tradidit illos? Quid potuisset de causa uel fortitudinis uel ignauiæ in rebus bellicis, manifestius dici? Qui sit, obsecro, quod paucissimi, innumerabiles in fugam compellunt? imo quod innumerabiles fugiant, nemine persequente? nulla certe alia ratione id fieri potest, quam quod illi, qui sunt a parte fugientium, DOMINVM deum suum non audierint, uerbum eius contempserint, ac mandata eius praefracte uiolauerint. Hi nimirum, hi inquam, non aduersarij, non hostes, exercitum nomine ipsorum prelium inuentum in fugam conijciunt.

Ceterum quod lex uerbis dicit, rebus ipsis comple-

HOMILIA PRIMA.

tum scriptura comprobat. Sic enim de gentibus Canaanis DOMINVS ad Israelitas loquitur. Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus deus tuus in conspectu tuo, propter iusticiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas, istæ deletæ sunt nationes, & quia impie egerunt, expulit eos Dominus deus tuus ante te. Amabo te, memineris, & tecum ipse recenseas, quot fortissimi Reges in terra Canaan ante aduentum Israelitarum habitauerint, & quam ualidis presidij firmati fuerint. Contra, quam inermis, quam impotens, Cananes præfuerit populus Israel, ut etiã exploratores dixerint, populus quem aspeximus proceræ stature est. Ibi uidimus monstra quædam filiorum Enack, de genere giganteo, quibus comparati quasi locusta uidebamur. Vnde ergo tante uires accesserunt exercitui Israelis, quod uicerit gentes se multo forciores? certe non aliunde quam ex impietate gentium, quibuscumq; Israel bellum gerebat. Propter impietates suas (inquit Mose) istæ deletæ sunt nationes. Et quid illud est, quod Israelitas, posteaq; illi terram Canaan occupassent, & iam robore exercitus ualere, tam effectos uiribus effecerit, ut nunc a Cusan Rege Mesopotamiæ, nunc ab Eg'lon Rege Moabitarum, nunc ab alijs aduersarijs, uincerentur? Quid aliud, quam impietas? quæ quasi uenennis malis imbuta, corpus

animumq;

IOANNIS BRENTI.

animumq; uirilem effœminat. Fecerunt (inquit scriptura) Israelitæ malum in conspectu Domini, & oblitæ sunt dei sui, seruietes Balim & Astharoth. Iratusq; Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripiencium.

Huc accedit, quod scriptura de Sisak Rege Aegypti commemorat. Is enim regnante in Iuda Rehabeamo filio Salomonis, incursionem fecit, in Imperium Iuda, & deuictis Iudeis, omnes thesauros templi Domini et aule regie in Ierusalẽ diripuit. Quis hosti tantas uires conferebat, ut Iudam superaret? & templi suo thesauro spoliaret? nemo certe alius, quam ipse Rex et populus Iuda, qui peccatis suis aduersus deum commissis, suas ipsorum uires frangebant, & hostibus robur adijciebant. Quis Salmanassarem Regem Assyriorum aduersus regnum Israel, & Nebucadnezarem Regem Babiloniorum aduersus regnum Iuda, ita armauit, & animauit, ut non solum uictoria potirentur, sed etiam regna illa deuestarent? Nonne Israelitæ & Iudei aduersus quos pugnabatur, autores fuerunt flagicij suis, ut ipsi uiribus suis destituti succumberent, & hostes uiribus aucti superarent? Et unde paruulo illi cornu quod est Antiochus, apud Danielẽ, tanta potestas, ut magnificetur usq; ad principem milicie cœli, & ab eo aufert iuge sacrificium, ac deijciat locum sanctificationis eius, nisi ab impietate & sceleribus

B iij rribus

HOMILIA PRIMA

ribus quæ Iudei, contra quos bellum gerebat Antiochus, designauerant? Robur (inquit Daniel) datum est ei, contra iuge sacrificium propter peccata.

His diuina scripturæ testimonijs, satis perspicuum factum esse opinor, quod non arma, non gladij, non alia belli instrumenta, hostes fortes & uictores reddant, Sed impietates & peccata eorum qui hostibus suis nulla dum acta pœnitentia resistunt. Etenim Dominus deus noster propter peccata populi, qui diuino quidem nomine gloriatur, Impietatibus aut̄ suis diuinũ nomen sordidat, tanta indignatione & iracundia accenditur, ut peccatricem illam gentem omnino auxilio suo destituat, & aduersarios, etsi non nunquam sexcenties peiores, diuino tamen nomine non gloriantes, adiuuet, ac robur eis ad uictoriã conferat. Itaque rectissime iudicatur, quod alterius exercitus impietates, alteri ac hostili exercitui animum, uires, robur, et fortitudinem uincendi adijciant.

Quæ cum ita se habeant, aspiciendũ nunc existimo, qui sint huius sæculi mores, imo quæ facinora, & quæ scelera ut his nobis ob oculos positis, aperte cognoscamus, Turcam nostro auxilio subinde ualidiorem & crudelent fieri.

Vnde autem incipiam? copia me inopem reddit. Quid enim dicam de publicis flagitijs quæ inter nos impune designantur? In familiaribus nostris colloquijs quid

IOANNIS BRENTII.

quid aliud, obsecro audimus, quam aut execrationes et diras deuotiones per nomẽ domini, per passionẽ, et quod horrendum est, per uulnera Christi, aut sermones turpitudine spurcissimos, aut detractiones alterius famæ inuidiosissimas? In mercemonijs emendis et uendendis, aliud non reperiã quã nugis, dolos, per iuria, & imposturas. Furta uulgo quidem execramur. Sed si alter alteri in contractibus ciuilibus scite imponit, prudentiam & industriam uocamus, tantũ abest ut nomine furti censeamus, quod imposturis partum est, atque hoc peius est istud scelus, quo magis turpitudine eius, honesta uocabuli specie latet. Iuuentus uix diũ adulta, pro ludo scortatur. Adulteria & stupra ita impune committuntur ut palam facta non magistratum ad uindictam, sed summates pariter & infimates ad suauiter nugandum & arridendum incitent. Quid de homicidijs & latrocinijs dicam? ea si ab obscuro designantur execranda iudicantur scelera. Sin uero a nobilibus, laudi, gloriæ & fortitudini deputantur. Iam uero ebrietates tanto honoraciores sunt, quanto maiores, & qui potenciores sunt ad bibendũ uinum, ac rursus euomendum, hi quoque celebriores uiri habentur. Et quoniam pars ista scelerum est? Non diũ quicquam de priuatis flagitijs nec de papisticis impietatibus dixi. Non mihi si centũ lingue sint oraque centum omnia flagitiorum genera percurrere possem.

HOMILIA PRIMA.

Omnes declinauerūt, quemadmodū Dauid ait, simul  
inutiles facti sunt, non est qui faciat bonū, non est usq̄  
ad unum.

Atq; his omnibus iniquitatibus & flagitijs, que  
manifestiora sunt, quam ut quisq; negare queat, acce-  
dit, quod est longe omnium sceleratissimum, extre-  
mus Euangelij contemptus, alius Euangelion de Iesu  
Christo ridet, alius exhibet, alius fastidit, alius execra-  
tur, alius persequitur. Et putas tu Dominum deum no-  
strum his moribus felicem nobis belli huius, quod ad-  
uersus Turcam gerimus, euentum, daturum? Scilicet,  
si esset deus uolens iniquitatem, & si iuxta eum  
habitaret malignus & permanerent iniusti ante oculo  
eius, crederem nos esse deo acceptissimos & gra-  
tissimos. At quia odio habet omnes qui operantur inia-  
quitatem, & perdit omnes qui loquuntur mendaciū,  
adeoq; uirum sanguinū & dolosum abominabitur,  
haud difficulter conijcere licet, qua de causa hactenus  
nostros immanissimo Turcæ diripiendos et concu-  
candos obiecerit. An adhuc ignoras deū aduersus nos  
uehementissima indignatione accensum? Nondū in-  
telligis iram dei prope in summum exarsisse.

Si peccata nostra non admonent te diuine iræ, ad-  
moneant te saltē crudelissima Turcæ in nostros facta  
ut ex his excandescenciam dei agnoscas. Etenim nun-  
ciatum est a nobis a fide dignis, Turcam superioribus  
diebus,

10 ANNIS BRENTII.

diebus, non solum uiros trucidasse, sed etiam mulieres  
pregnantes, mucronibus suis dissecuisse; & infantes  
pedibus apprehensos, ad saxa, (o crudelitas, o imma-  
nitas) allisisse. Quid, obsecro, hoc aliud est, quam cer-  
tissimū extremæ dei in nos indignationis argumen-  
tum? Falleris enim. Si existimas Turcæ natura adeo  
ab omni humanitatis sensu abhorreere, ut non sciat  
parcere miseris mulierculis & innoxijs infantibus.  
Est profecto in Turca etiam humanus sensus, est in eo  
affectus clemenciæ pro innata omnibus hominibus,  
quantūcūq; barbaris natura. Quod igitur hoc tem-  
pore tam seua, tam crudelia in mulierculas & infan-  
tes ausus est, non nature eius, sed diuine indignatio-  
ni adscribendum est, quæ sese in hac Turcæ seuciæ  
prodere & palam ostentare nobis uoluit.

Nec recens est, quod Dominus deus noster iram suā  
hiscæ factis declarat. Etiam multis ante seculis, eademe  
seuciæ indignationem suam manifestauit. Nam cum  
olim grauitatem iræ suæ aduersus Amalec conceptā  
indicare uellet, Præcepit Sauli Regi Israelitarum, ut  
trucidet Amalec a uiro usq; ad mulierem, & paru-  
lum atq; lactentē. In Azæle quoq; Rege Syria osten-  
dit deus iram suam aduersus Israelē, dum efficit ut  
Azæel paruulos filiorum Israel elidat, et pregnantēs  
diuidat quemadmodū in posteriori Malachim libro,  
capite octauo scribitur. Quod cum etiam hoc tempo-  
re &

HOMILIA PRIMA

re a Turca factum, certa fama accepimus, quid posset nobis ad declarandam diuine indignationis aduersus nos conceptæ uehementiam certius proponi.

Atq; hic mihi uide, preposteris nostros mores. Etenim, audita Turcicæ crudelitatis fama, confestim solemus, uehementi indignatione aduersus Turcã exardescere, Turcã truculenciam execrari, seuiciam diris deuouere, adeoq; omnia maledictionũ genera in feritatem eius plusq; bestialem congerere. Nullum autem audias, qui tali fama accepta, aduersus seipsum ira excondescat, sua flagicia excretur, & sua scelera detestetur, hæc inquam, nostra scelera, & flagicia, ipsissimi autores sunt crudelitatis & truculenciam Turcæ, qui ppe que Dominũ deum nostrum ad tantam iracundiam prouocauerunt, ut ad Turcã seuiciam conuincat, & crudelitatem eius adiuuet atq; adeo plane factus sit ex deo Christianorum, ut ita dicam, deus Turcarũ. Cur igitur aduersus nos ipsos non indignamur? cur turpissima nostra scelera non detestamur, cur nos ipsos tanq; proditores perfugas & deuastatores patriæ nostræ non exhorrescimus? Prodimus enim patriam hosti nostro cum impia scelera designamus, Perfuge & deuastatores patriæ existimus cum flagicis nostris efficimus, ut exercitui Turcæ robur accedat, quo fines patriæ nostræ deuasentur.

Et, O genus belli, quod cum Turca gerimus, inau-

ditur

IOANNIS BRENTII.

ditum, ac insolita sua specie maxime omnium memorabile. His diebus cõscripti sunt ex nobis milites et equites quos ad eijciendum Turcam e finibus nostris amandauimus. Interim tamen, quotidie legatos ad Turcã mittimus, qui ipsum ad deuasandos nostros fines uocant, auxilia & subsidia ad Turcam mittimus, que uires exercitus eius firmiores reddunt. Meliora inquis, Legatos enim, Milites & subsidia, non ad confirmandum, sed ad expugnandum exercitum Turcæ mittimus. At queso te obserues, me non de externis illis militibus & subsidijs loqui, sed de sceleribus & impietatibus nostris, e quibus uires Turcæ augentur. Quoties enim neglecto Christo, impio cultui diuino operã das, toties mittis legatum ad uocandũ Turcã. Quoties adulteria, supra, homicidia, latrocinia, imposturas, maledictiones, et ebrietates designas, toties subsidijs tuis exercitum Turcæ firmas. Intelligis ne admirabile genus belli, in quo iidem sumus pariter hostes Turcæ, & amici eius, Rebellatores & adiutores eius, Defensores patriæ nostræ & proditores.

Quid ergo? Factus ne est exercitus Turcæ nostris subsidijs ualidior quam ut superari, & indignatio DOMINI grauior quam ut placari et mitigari queat? Quid? nulla ne nobis salutis uia relicta est? Absit longissime. Ecce inquit Esaias, non est abbreviata manus Domini, ut saluare nequeat, neq; aggrauata est

am

HOMILIA PRIMA

auris eius, ut non exaudiat, sed iniquitates nostræ di-  
 uiserunt inter nos & deum nostrum, peccata nostra  
 absconderunt faciem eius a nobis, ne exaudiret, &  
 quemadmodū ante comemorauimus, scelera nostræ  
 deum ad tantam indignationem accenderunt, ut nos  
 quidem auxilio suo destituat, Turcam autē adiuuet.  
 Ergo, quoniā peccata nostra, deum a nobis alienant,  
 & Turcæ subsidia conferunt reliquam est, si uiam sa-  
 lutis inuenire desideramus, ut pœnitenciam agamus,  
 & a peccatis resipiscamus. Sic enim fiet ut reuocatis,  
 quæ ad cōfirmandū Turcæ exercitū misimus subsidijs,  
 uires Turcæ frāgamus, nostrū exercitū cōfirmemus, et  
 quod est maximum, DOMINVM deum nostrum pla-  
 catum ac propiciū reddamus. Erras, si existimaue-  
 ris alia uia salutem parari posse, conscribere uel sexcen-  
 tos aduersus Turcam exercitus, para innumera belli  
 instrumenta, & exequere omnia quæ sunt uel strenui  
 militis uel boni Imperatoris officia, nihil tamen pro-  
 ficietur, nisi nostris militantibus & pugnantibus ad-  
 uersus Turcam, nos qui domi remanemus, domesticū  
 nostrum Turcam, quem unusquisq; in sinu suo gestat,  
 perdomemus & mortificemus, hoc est, nisi peccatorū  
 nostrorumque sunt domestici Turcæ, pœnitenciam  
 agamus. Pœnitencia enim nostra, reddemus militum  
 nostrorum gladios acutissimos, Pœnitencia addet nos-  
 tris uirtutem fortitudinis, pœnitencia efficiet nostros  
 exiguis strennuos, ex timidis fortissimos. *Que*

YONNIS BRENTII.

*Que* inquis pœnitencia? Non ea, quam hypocritæ  
 finxerunt, uidelicet ut facilijs nostris operibus, Missis  
 Papiisticis, Peregrinationibus, Rosarijs, alijsq; id ge-  
 nus nugis pro commissis peccatis satisficiamus. Hos  
 enim mores uidemus in hypocritis, qui sperant, se suis  
 peregrinationibus, quas subinde repetunt, Turcam e  
 sinibus nostris expulsuros. Sed de ea loquor pœniten-  
 cia, quam Christus & Apostoli docuerunt, uidelicet  
 ut agnoscetes turpitudinem peccatorum nostrorū,  
 credamus ea esse per Iesum Christum remissa & ex-  
 piata Fide autem in Iesum Christum remissionē pec-  
 catorum seu iusticiam consecuti, faciamus, quemad-  
 modum Ioannes Baptista ait, Fructus dignos pœni-  
 tencie, hoc est, præceptis diuinis obediamus, non ut  
 operibus nostris bonis pro peccatis satisficiamus, quo-  
 rum remissionem fide accepimus, sed ut uocationi di-  
 uinæ obsequamur, & nos gratos erga eum qui nobis  
 peccata gratis remisit atq; iustificauit declaremus.

Porro inter fidei opera & fructus pœnitencie,  
 Primum omnium maxime nobis curæ sit, inuocatio  
 nominis dei seu precatio. Dixit etenim deus, Inuoca me  
 in die tribulationis et eruam te & honorificabis me.  
 Et alias, dicit Spiritus Sanctus, Quicumq; inuocauerit  
 nomen Domini, saluus erit.

Licebit autem, uel maxime omnium nomen Domi-  
 ni aduersus Turcam, ex fide inuocare. Etenim Turcæ  
 a paruo

HOMILIA PRIMA

a paruulo illo cornu adumbratur, quod apud Danielem sermones contra excelsum loquitur, & sanctos altissimi conterit, et quanq̄ haftenus propter peccata nostra preualuerit, tamen non traditur ei potestas & uictoria perpetua, sed ad tempus et tempora & dimidium temporum. Et uidet Daniel, quod interficiatur illa bestia & pereat corpus eius ac tradatur ad comburendum igni. Huc accedit quod etiam Turca sub nomine Gog & Magog ab Ezechiele ad interitum descriptus est, Super montes (inquit Ezechiel) cades tu & omnia agmina tua, & populi tui qui sunt tecum, feris auibus, omniq; uolatili caeli, & bestijs terrae dedit te ad deuorandum.

Proinde cum scriptura Turcam describit aduersarium dei, & interitionem eius promittat, nonne certissima fide, nomen DOMINI contra crudelitatem Turcae inuocare licet? et quis non confidenter contra illius feritatem, diuinam clemenciam imploraret, qui summis nomen Domini nostri Iesu Christi blasphemijs afficit, qui propter Mahumetum suum in Christianis, Iesum Christum uerum & unigenitum dei filium persequitur & populum dei conterit? Putas ne impune eius blasphemias, impietates persecutiones & crudelitates suas laturum? Certe non impune feret.

Itaq; si ex hac fide, promissionibus diuinis de Turcae interitu suffulta, Dominum deum nostrum per Iesum

IOANNIS BRENTII.

sum Christum inuocauerimus, Profecto etiam si longe a castris nostrorum militum absumus, et prelio corpore non interisimus, tamen maiorem cladem infremus exercitui hostium precibus nostris, quam milites nostri gladijs & hastis suis. Et ut eius rei fidem tibi maiorem faciam, queso te diligenter mihi consideres, rationem eius prelij, quod ab Israelitis contra Amalec in Raphidim gestum est, quemadmodum scribitur in Exodo capite decimo septimo.

Mose enim, etsi esset optimus & fortissimus Israelis dux, tamen sperabat se absentem, plus aduersus hostem precibus, q̄ presentem armis pugnaturum. Suffecto igitur in locum suum Iosua, qui exercitum aduersus Amalec educeret, et assumptis secum Aherone et Hur ascendit super uerticem collis, habens uirgam dei in manu sua. Ineunte autem Iosua prelium, contra Amalec, Cuius, obsecro, uirtute plus pugnatum est? cuius fortitudine uictoria parta est? militum ne armis pugnantium, an Mosi a prelio absentis? audi quid scriptura dicat. Cum leuaret Mose manus, uincebat Israel. Sin autem paululum remisisset superabat Amalec. Manus autem Mosi erant graues, Sumentes igitur Aheron & Hur lapidem, posuerunt subter eum in quo sedit. Aheron autem & Hur sustentabant manuum eius ex utraq; parte, & factum est ut manus eius non lassarentur usq; ad occasum solis. Fugauitq; Iosua Amalec et populum

HOMILIA PRIMA.

et populum eius ore gladij. Nonne manifeste demonstra-  
stratur manus absentis Mosi leuatus, accuisse suorum  
militum gladios, et hostes fugasse, adeoque absentem  
Mosen magis leuatis suis manibus, quam presentes  
milites armis uictoriam peperisse? Quae nimirum in  
nostri doctrinam scripta sunt.

Noster enim Amalec, Turca est, qui nobis ad pro-  
missam terram proficiscentibus resistit. Postea quam  
igitur exercitus noster ad rebellandum missus est, as-  
cendamus nos ad montem domini et exemplo Mosi,  
accepta uirga dei, manus in altum leuemus, Quae autem  
uirga est uirga dei, nisi Ihesus Christus Dominus noster,  
nisi Euangelium seu promissiones Dei, quibus ceu scap-  
tulo credentes reguntur? quid est manus in altum tolle-  
re, nisi precibus Deum inuocare? Quod si manus  
grauiores sunt, quam ut eas continenter leuatas serua-  
re possimus, consideramus in petra, Iesum Christum,  
et suffultiamus manus ministerio Aheronis et Hur,  
hoc est, exhortationibus et admonitionibus quibus  
subinde ab Ecclesiasticis ad praeces inuitamur. Sic  
enim fiet ut precibus nostris ex fide sine intermissione  
ne continuatis, plus momenti a prelio absentes, quam  
omnes prelio presentes armis suis ad consequendam  
uictoriam conferamus.

Huc conuenit etiam Israelitarum et Philistinorum  
pugna in priori libro Samuelis capite septimo  
descripta

IOANNIS BRENTII.

descripta. Tulit enim (inquit scriptura) Samuel agnū  
lactentem, et obtulit illum holocaustum integrum  
domino, et clamauit Samuel ad Dominū pro Israel,  
et exaudiuit eum dominus. Factum est autem cum  
Samuel offerret holocaustum domino, Philistini iniere  
prelium contra Israel, inuocauit autem dominus frigo-  
re magno in die illa super Philistinos, et exterruit su-  
per eos, et ceciderunt a filiis Israel. Quis obsecro ui-  
ctoriae autor fuit? Israelitae ne armis suis preliantes,  
an Samuel holocaustum offerens et ad dominum cla-  
mans? certe Samuel, qui non armis sed agni oblatione  
et precibus pugnauit, uictoriamque peperit. Quid au-  
tem est holocaustum agni offerre nisi credere in Ie-  
sum Christum, qui est agnus Dei, peccata mundi tol-  
lens? Ex fide igitur in Iesum Christum clamemus ad  
dominum, et clamore nostro tantum terroris Turcae  
incutiemus, ut ille quasi oestro percitus turpissima su-  
ga salutem sibi quaesiturus sit.

Quid dicam de prelio, quod exercitus Dauidis  
cum sedicioso Absolone gessit, ut in posteriori Samue-  
lis libro capite decimo octauo scriptum est? Dauid  
enim quamuis, ut uidebatur, domi ociosus remaneret,  
plus tamen subsidij exercitui suo absens a prelio con-  
tulit, quam presentia omnia militum suorum arma.  
Ecquid domi suae interim egit, dum exercitus eius  
aduersus Absolonem pugnaret? De hac re audiamus  
suum ipsius Psalmum, qui in Psalmorum numero ter-

HOMILIA PRIMA

rius habetur. Sic enim ait, DOMINE quid multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me? Multi dicunt anime mee, non est salus ipsi in deo eius Audiuius inimicoru eius facta, audiamus nu' e' ipsius factum. Tu inquit, domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo. Anima duertis ne, quid Dauid suis pugnantibus domi fecerit? Orauit dominum ex fide & nomen domini inuocauit, quid ergo consecutus est? Sequitur, tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisisti. Vides, non milites pugnantes, sed Dauidem orantem, uictoriam peperisse, Vnius absentis oratio exercitum multorum multum adiuuit et putas tu multorum preces ex fide profectas, uanas, irritas, & inefficaces fore?

Legati regis Hiskie ad reliquias Israelis missi, ita inquit, si uos reuersi ad dominum fueritis, fratres uestri, & filij habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captiuos, & existimabit quispiam, nos reuersione nostra ad dominum & pijs precibus non tantum impetraturos, ut nostri nondum captiui, non solum captiuitatem Turce euadant sed etiam uictoria potiantur? Scilicet efficacius ualebit poenitentia & precatio reliquiarum alijs aut sicuti peccora trucidatis, aut in foedam seruitutem abductis,

quam

IOANNIS BRENTII.

quam priusquam alij trucidentur, aut in seruitutem abducantur? Certo, si poenitentia & precacio ad liberandum e presentibus calamitatibus efficacia sunt, multo magis ad auerruncandas & depellendas futuras calamitates ualebunt. Proinde, amici in Christo dilectissimi, memineritis omnem huius belli, quod cum crudelissimo hoste nunc geritur, molem, in humeros uestros incumbere, memineritis omnes nunc ab atrocissimo hoste obsidione cinctos, uiros, mulieres, pueros & infantes, supplices ad uos tendere manus, & uotis, suspirijs, singultibus ac lacrimis, opem uestram implorare, memineritis deniq; effusum pregnantium & infancium crudelissime a Turca trucidatorum sanguinem, uos appellare, atq; obsecrare, ut non tam adhuc superstitum & modo periclitantium, quam uestro nomine, resipiscencia & precibus iram domini frangatis, quo fiat ut imminentem corporis & anime internicionem effugiatis per Iesum Christum Dominum nostrum qui est Deus laudandus in se-

cula. AMEN.

C ij

Historia

# HISTORIA

PRIMA DE DILUVIO  
GENESIS 6,

## HOMILIA SECVNDA

**O**PERE PRÆCIVM arbitror, dilectissimi  
ut cum propter periculosa rerum discrimina,  
quæ nobis partim a publica fame, partim a  
Turcæ incursionibus in nostram Germaniam immi-  
nent, publicæ in Ecclesia litaniæ, non diuorum in-  
vocatorie, quales fuerunt Gregorij Papæ, sed solius Dei  
auxilium suspirantes & ambientes, instituta sint.  
Conciones quoq; seu homiliæ ante litanias habeantur,  
quibus invitentur & admoneamur ut resipiscantiam.  
& vite renovationem capeamus, qua sola efficitur,  
ut tam publicæ, quam privatæ præces in conspectum  
Dei penetrent. Etenim nisi præces ex fide proficiantur,  
nisi fidem digni poenitentia fructus sequatur, pla-  
ne frustra orationes ad Deum effunduntur. Clama-  
bunt, inquit David, & non erit qui salvet, ad Domi-  
num, & non exaudiet eos, Et Hieremias, Non exau-  
diam eos, dum clamant ad me in tempore afflictionis  
eorum. Quam ob causam? quia non audierunt vocem  
meam, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt  
unusquisq;

## IOANNIS BRENTII.

unusquisq; in prauitate cordis sui mali. Itaq; ne & no-  
stræ preces evanescant, & in Hypocrisim abeam, se  
legi quasdam e sacris libris historias, argumento suo, a  
nostrorum temporum calamitatibus non ualde dissi-  
dentes, quas caritati uestre interpretandas suscepi,  
ut alieno periculo prudentiores facti, ad uitam melius  
instituendam festinemus.

Prima ergo Historia in libro Geneseos capite sexto  
de diluio in toto terrarum orbe tẽpore Patriarchæ  
Noe facta, scripta inuenitur,

Principio autem animaduertendum est, sacras hi-  
storias non ad illos solum, qui eo tempore, quo res ge-  
ste sunt, uixerunt, nec ad illos tantum, quos nominatim  
historia perstringunt, sed ad omnes omnium temporum  
homines pertinere. Tametsi enim de hoc sepe carita-  
tem uestram admonuerimus, tamen ne nunc quispiam  
nobis importune obijciat, quid ad Turcæ historia  
Noe & diluuii? de Turcæ incursionibus nobis conicio-  
naturus, historiam Noe proponis, quæ conuentio? Hæc  
inquam, nequis impudenter obijciat, necessariū duxi,  
ut iterum paucis ostendam, scripturæ sacræ historias,  
maxime omnium ad nos pertinere. Etenim Paulus Roma-  
nis scribens, ita inquit, Quæcumq; præscripta sunt,  
in nostram doctrinam præscripta sunt. Et ad Corin-  
thios, Hæc omnia ait, figuræ contigerunt illis, scripta  
uero sunt propter admonitionem nostri, in quos ter-  
mini

HOMILIA SECUNDA

mini et tunc inciderunt. Et ad Timothe. Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad doctrinam, ad reargutionem, ad correctionem, ad institutionem quae est iusticia. Ceterum ut Pauli testimonium maius autoritatis pondus habeat, idem quoque Christus Dominus noster testatur, partim dum se in patria contempto. Helie & Helizei historiam citat, partim dum exemplo Davidis qui contra legis ordinationem, panes propositionis comederat, discipulos suos spicas uelentes excusat.

Iam cum omnia sacrarum literarum, tum uero precipue historiam de diluuiio Noe temporibus facta, in nostri doctrinam scriptam esse Christus indicat, sic apud Lucam dicens. Sicut accidit in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis. Christo subscribit apostolus eius Petrus ita inquit, Christus mortificatus quidem carne, sed uiuificatus spiritu, in quo etiam abiit, et spiritibus qui erant in carcere predicauit, qui in obediens fuerant quondam cum semel expectabatur Dei lenitas in diebus Noe, et cetera quae sequuntur. Et iterum, Deus prisco mundo non pepercit, sed octauum iusticiae preconem Noe seruauit, diluuiio in mundum impiorum inducto, eosque fecit exemplum, his qui impie forent acturi. Attende igitur hanc historiam. Audiamus, nec audiamus solum, uerum quod maximum est, & quod solum in huius interpretatione

IOANNIS BRENTII.

ne queritur, iram Dei timere, & in nouitate uitae ambulare, discamus, Sic autem scribit Mose.

Cum cepissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, uidentes filii dei filias hominum quod essent pulchre, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Hoc illud ipsum est quod Christus ait, edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptiis. Vbi enim hominum multitudo est, ibi multa edificia instaurantur, multus est conuiuitorum sumptus, multa matrimonia contrahuntur. Et haec quidem non a posteritate tantum Cain fiebant, uerum etiam filij dei, hoc est, posteritas generationis sanctae, & liberi sanctorum patriarcharum rebus terrenis secure uacabant, edentes, bibentes, & matrimonia non ad procreandam prolem, non ad uitandam fornicationem, non ex obediencia et fide diuinae ordinationis, sed ad explendam libidine, & e luxurioso cordis desiderio, contrahentes. Unde uxores ducebant, non morum castitatem, non pietatem, sed uenustam & decoram corporis pulchritudinem contemplantes. Et admodum diserte post conuiuia, sequuntur libidinosae nuptiae. Nam apud Ethnicos quoque illud dictum celebratur. Sine cerere & bacho friget uenus.

Quid ergo inquires? num peccatum est, edere, bibere, & uxorem pulchram ducere? nonne etiam Noe

HOMILIA SECUNDA

edit bibit et uxorem non omnium turpissimam duxit: Ut respondeam, ita sciendum est, nec edere nec bibere, nec matrimonium contrahere per se malū esse nam et Christus dicit, Edite que apud illos sunt, et Paulus, Esca nos nō comendat Deo, neq; si comedamus, aliquid nobis super est, neq; si non comedamus quicquam nobis deest, et de matrimonio ait, Si duxeris uxorem non peccasti, et si nupserit uirgo non peccauit. Sed malum est in conuiujs et contrahendis matrimonijs ita securam ducere uitam ut iuxta Esaiam opus domini non respiciatur, opera manuum eius non considerentur, nec iudicia eius timeantur. Non conuiuia, non matrimonia, sed oscitancia et carnalis securitas damnantur, Cum igitur homines, secure uiuerent, et ex felici omnium rerū statu, prospera queq; futura sibi pollicerentur.

Dixit Deus Non permanebit spiritus meus in homine inæternum quia caro est.

Spiritum multi intelligunt uitam hominis naturalem, iuxta illud q. scribitur, Inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, sed multo conuenientius est ut per spiritum intelligamus ministerium spiritus, quod est prædicatio uerbi Dei. Est igitur sententia, hæcenus, inquit dominus, Spiritus meus, qui est uerbi mei annunciatio, pure, sinceriter, citra humanorū somniorum figmentis

IOANNIS BRENTII.

gimenta, et absq; fermento anilium nugarum, ipsis manifestatus est, dedi eis fideles concionatores, et ut alios omittam, dedi eis Patriarcham Noe, qui spiritus meo edoctus, omnem ipsis iustitiam prædicauit, ut dignissimo iure præco iustitiæ uocetur. Nunc autem efficiam ut spiritus seu prædicatio uerbi mei ipsis subtrahatur Et ut spiritus meus (cuius natura et officium est arguere mundū de peccato) non amplius arguat, reprehendat, et contendat cū hominibus impijs, qui nihil aliud e prædicatione uerbi mei discūt, quā quo clarius et manifestius ipsis adnunciatur, eo contēptius fastidiunt, derident et blasphemant. Nō minitor eis ignis, nō gladios, non dum etiā diluuiū, non famem, panis, hæc. n. ōnia leuissima sunt supplicia, et pene puerilia deliramenta, qui ppe quæ in solū corpus, non itē in animam grassantur, sed minitor eis famem audiendi uerbi dei, q. supplicium tantum superat corporales afflictiones, quantū anima corpori longus præstat. Etenim qui fame audiendi uerbi dei affligitur, hic etiam fide, que per auditū uenit, deslituitur, deslitutus fide, impietati obijcitur, qui impius est Deo caret, qui Deo caret, Sathanæ mancipium est, qui est Sathanæ mancipium, omnibus maledictionibus uicij, peccatis, sceleribus, molestijs, anxietatibus, formidini, pauro, horrore, desperationi, breuiter sempiternæ perditioni obnoxius est.

Vides quanta mala famem audiēdi uerbi dei inferat

*deseruit impijs*

HOMILIA SECUNDA

unde & dominus israhelitis minitaturus grande supplicium, per Prophetam ita ait, Ecce dies uenient & mittam famem in terram, non famem panis neq; sitim aque, sed audiendi uerbum domini, Et ut cognoscas quanta huius supplicij grauitas sit, sequitur, commouebuntur a mari usq; ad mare, & ab aquilone usq; ad orientem circumibunt, querentes uerbū domini et non inuenient. Cæterum cur dominus tanta seueritate homines recens conditos plectere uelit, additur ratio.

Quia caro sunt.

Quid? hæcine tam grauis causa est propter quam ministerium uerbi dei aboleri debet? nonne de Christi incarnatione scribitur, Verbum caro factum est? quod si carnem esse pro magno flagicio in conspectu dei aestimaretur, Christus non fuisset factus caro? At non est, quod te, in ratione uocabuli carnis torqueas, nam alia est caro naturalis uitæ, alia caro hereditaria concupiscentiæ, Fatemur Christum carnem factum non uiciose concupiscentiæ, sed uitæ naturalis. Homines autē recens conditos, non ita solum carnem factos dicimus, quod uita corporali uixerint, sed quod omnibus carnalibus desiderijs, uitijs, flagitijs & sceleribus sorditati fuerint, de qua carne Paulus dicit, Affectus carnis mors est. Et iterum, Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum, nam legi dei non subditur, siquidem ne potest quidem,

IOANNIS RBENTII.

Quidem, igitur qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

Porro dominus non potuisset ut breuius ita dilucidius uno carnis uerbo, uniuersam malorum lernam comprehendere. Etenim si uerbi huius uim explicaueris cum homines carnem factos dicas, nihil aliud intelligi potest, quam ipsos esse traditos in reprobam mentem, repletos omni iniustitia, scortatione, uersucia, auaritia, malitia, plenos inuidia, cede, contentione, dolo, malis preditos moribus, susurriones, obrectatores, dei osores, contumeliosos, elatos, gloriosos, excogitatores malorum, parentibus inmorigeros, expertos intelligentiæ, pactorum haud quaquam tenaces, alienos à caritatis affectu, nescios foederis, immise ricordes, deditos, adulterijs, immundiciæ, lasciuie, simulacrorum, cultui, ueneficio, ebrietatibus, comestationibus, et his similibus, hæc enim sunt carnis fructus & opera. Ergo quem carnem esse dixeris, eum omnibus carnalibus uicijs ac sceleribus obrutum esse significas.

Verum enim uero ne deus ab innata sua clementia recedat, impijs peccatoribus resipiscentiæ spaciū concedit dicens.

Erunt dies illius centum viginti annorum.

Hoc iterum nonnulli de naturali hominis uita intelligunt, perinde ac si dominus hoc dicto significaret uitæ hominis non amplius septingentorum & octingentorum annorum.

## HOMILIA SECVNDA

torum & non gentorum, quemadmodum priorum Patriarcharum sed tantum centum uiginti annorum fore, multo autem melius non de spacio naturalis uitae sed de spacio temporis ad resipiscenciam concessi intelligendum est, Erunt, inquit dominus, priusquam diluuium in orbem induxero, ad huc centum uiginti anni, quod tempus humano generi misericorditer condonabo, ut interim qui uelit, resipiscere queat, ne cum uniuerso mundo pereat.

Ceterum hic primum, DOMINVS animum suum reuelat, qua ratione peccatores, priusquam pereant, tractare uelit, Non enim uult, ut Propheta ait, mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Itaque non statim post minas supplicia infert, sed spacium poenitentiae largitur, & dilatione supplicij ad resipiscenciam inuitat. Sic pontifici Eli concessum est resipiscenciae tempus, posteaquam a uiro dei audiuit posteritatem eius a summo sacerdotio deijciendam fore, non enim sequitur statim latae sententiae executio, sed tam Eli quam filij eius aliquam diu seruantur incolumes, si forte uitam suam interim melius insituerent. Sic Niniuitis dati sunt ad poenitentiam quadraginta dies. Sic regno Iuda & Israhel aliquot non dies sed anni, post admonitiones & minas Prophetarum, ad resipiscenciam concessi sunt. Ut igitur dominus hanc clemenciam, bonitatis, et misericordiae suae multitudinem

## IOHANNIS BRENTII.

rudinem inauguret & sanctificet, hominibus recens quidem conditis, sed omni scelerum genere sordidatis, uiginti centum annos praescribit, quibus, si resipiscant, efficere possint, ut decreta dei sententia de diluuiio in orbem inundaturo reuocetur.

Sed nunc tempus est, ut quaecumque de conditionibus illius seculi quod paulo ante diluuium fuit, audiuius, nostro seculo, quantum fieri potest, accommoдемus, ut ex alienis periculis, quid nobis futurum immineat, arbitremur.

Nonne homines nostra tempestate ita multiplicati sunt, ut ad quascumque urbes, ciuitates, oppida, uillas, pagos, uicos & plateas, diuerteris, ibi reperiatur hominum non dico congregationem, sed colluuiem, uelut examen apum, & ut scripturae similitudine utar, tanquam locustarum multitudinem? Huc accedit quod uulgaris omnium artificum querela est, plures ubique eiusdem artificij magistros esse, quam ut singuli uitium sibi parare queant. Quot denique diuturna bella absumunt? quot pestis? attamen nihil pauciores sumus.

Iam in tanta hominum multitudine, quid agatur? Rogas? emitur, uenditur, plantatur, edificatur, editur, bibitur, matrimonium contrahitur. Nunquam tam numerosus mercatorum & institorum numerus fuit, non est in urbe angulus, in quo non

fere

HOMILIA SECVNDA

non fere insitor aut propola prostet. Quid dicam de plantatione & edificijs? non est locus spinis aut tribulis tam horridus & incultus, qui non purgetur & colatur, quis unquam tot hortorum plantationes uidit? etiam montium precipicia aratro inaccessa rastris profcinduntur, ut sementem accipiant.

Quantus autem nunc conuiuiorum apparatus? quanta ingluuies? quanta uoracitas? quanta ebrietas? etiam infantes adhuc in cunis uagentes uino obruuntur.

Quid obsecro narrem de matrimonijs contrahendis? adolescentes uix dum cunas egressi uxores spirant, uirgines nondum nubiles, maritos etiamnum somniant & ut plus dicam filij dei, hoc est, sacerdotes monachi & monache haecenus pro filijs dei & hominibus, ut uocant spiritalibus habiti, matrimonia, contra hominum decreta contrahunt. Huc accedit quod plerumque a quouis hominum genere uxores ducantur, non quas morum probitas sed dos & forma commendant.

Porro haec non ideo a nobis commemorantur quem admodum antea aliqua ex parte admonuimus, quod peccatum sit, emere, uendere, edere, bibere, plantare, edificare, & matrimonia contrahere, satis enim e uerbo domini eruditi estis quod ut ciuilia mercaturae, plantationis, & edificationis officia per se non sunt mala;

IOANNIS BRENTII.

mala, ita cuius hominum generi, siue uulgari, siue & uocant spiritali, liceat coram Deo impune ad uitandam fornicationem, & obseruandam ueram castitatem (nam & sua, eaque diuina matrimonio castitas est) matrimonia contrahere, etiam si uanissima hominum constitutiones aliud iusserint, sed recensentur quod haec per se honesta & licita, quibus boni ac pii quouis tempore ex fide uti possunt, certa inditia & argumenta imminenti alicuius calamitatis sint, si securo animo absque timore dei fieri soleant.

Ergo cum ita sese habeant nostri saeculi mores, quid dicit dominus? Quid aliud diceret, quam quod coetaneos Noe dictum est? Non permanebit spiritus meus inter homines, haecenus (inquit) reuelauit uobis doctrinam Euangelij, manifestauit ueram iustificationis rationem, antea pharisaico fermento ita sorditantes ut non Christianissimum sed iudaicum dixisset.

Quas ergo gratias mihi refertis? nullas alias, quam quod caro sitis, carnalem ducitis uitam, carnalis desiderij obsequimini. Tolerabile esset si tantum scelera aduersus uerbum domini designaretis, & uerbum ipsum non rideretis, hoc autem intolerabile est, quod praeter flagicia, etiam uerbum dei contemnatis, rideatis, & summo fastidio abominemini. Itaque aufertur a uobis doctrinae Euangelicae sinceritatem, et mittitur uobis famem non panis tantum, sed etiam audiendi

D uerbi

HOMILIA SECVNDA.

uerbi dei, Attamen ne innate clementiæ meæ obliuiscar, ne a ueteri bonitatis meæ consuetudine discedam, en uobis pœnitentiæ tempus non dum peruenit ad uos Turca, ille crudelis & hereditarius Christiani nominis hostis, Ungariam tantum paulo ante deuastauit, nisi respiceritis deuastatio longius profereatur, sed quid dixi profereatur? longius nunc prolata est, deuastat enim nunc Turca Austriam, & ut fama fert, nec mulieribus, nec infantibus parcit. Quo factò nihil aliud Dominus nobis in aures nostras clamat, quam uctus illud suum dictum. Respice, nisi enim respueris, ecce totam Germaniam in manus Turcarum tradidi.

Proinde, dilectissimi in Christo, obediamus uoci diuinæ, pareamus clamori domini, ne impœnitentes supplitio comprehensi, illud Prophete audiamus, factum est sicut locutus sum, & non audierunt, sic clamabunt & non exaudiam dicit Dominus Ze-

baoth. Sed & pœnitentiam agentes

quædamodū Noe a diluuiò, ita nos

ab imminente Turcarum cru-

delitate seruemur gratia

& misericordia Do-

mini nostri iesu

Christi qui

est De-

us laudandus in secula, AMEN.

HOMI<sup>æ</sup>

IOANNIS BRENTII.

HOMILIA TERTIA.

HERI, amicissimi, pro mediocritate nostra indicauimus historiam Noe, non propter eos homines, qui diluuij aquis perierunt, sed potissimū propter nos, & in nostri doctrinam literis mandatam esse, ut si, nostra ætate non dissilem rerum statum inueniamus, non leuiora quoq; supplitia futura esse conijciamus. Ad hæc contulimus mores temporū Noe cum moribus nostri seculi, & inuenimus uix animaduertendam inter ipsos distanciam, quemadmodum enim ~~CVXX~~ ~~NONO~~ Noe edebant, bibebant, et matrimonia contrahabant, ita nunc editur, bibitur, & matrimonia contrahuntur, non quod hæc per se mala sint, aut quasi non quouis seculo facta fuerint, sed primum quod securitas damnetur, hæc enim e securitate uelut e fonte originem suam, in huius seculi hominibus ducunt. Deinde quod frequentia harum rerum imminens ali- quod malum portendat. Nonne, ipsam dei uerbum longe omnium optimum est & nihilominus tamen ubi publice reuelatur, ibi publicam quoq; calamitatē, nisi pœnitencia agatur, præforibus esse significat, unde non est mirum, si etiam frequentia conuiuiorum & matrimoniorum, quæ alioqui per se honesta sunt, futurum illius, in qua fiunt, regionis exitium ueluti per transennam demonstrant. Sic enim cū dies ad uesperā

D ij uerget.

HOMILIA SECUNDA

uerget, homines festinare solent, ut negotia sua, ante solis occasum perficiant, ut si nescias, ex illa tamen hominum festinatione, solem ad occasum declinare intelligas, ita ubi festinatur in contractibus ciuilibus, in conuiujs, alijsq; publicis et priuatis huius seculi negocijs, ibi facile prudens intelligit, regionis occasum non longe abesse, Et hæc quidem hactenus. Videamus nunc an & reliqui temporum Noe mores, cum ætatis nostræ moribus conueniant.

Gigantes (inquit) erant super terram in diebus illis. Postquam enim filii Dei ingressi sunt ad filias hominum, & hæc filios pepererunt, facti sunt illi potentes & celebres in hoc mundo uiri.

Vide obsecro quam pessime matrimonia filiorum Patriarcharum cedant, Nam cum ipsi ex optimis parentibus fuissent prognati, ex ipsis pessimi, & sceleratissimi filij orti sunt, quos scriptura gigantes, nos pro nostri sermonis phrasi, Tyrannos uocamus, qui ut robore corporis, et maiestate potentie, alijs hominibus præstabant, ita Tyrannide sua quoscuq; poterant opprimebant, pauperes prædabantur, uiduas expilabant, pupillos spoliabant, et omnino ex alienis optibus, tyrannide aut latrocinio partis, sibi diuitias, gloriam, & nominis celebritatem comparabant, ita celebrior in orbe erat, qui potentia Tyrannidis alios uincebat.

Hic

IOANNIS BRENTII.

His moribus confer nunc nostra secula, & inuenies tyrannidis neq; modum neq; finem, alij enim gladio suo Euangelium crudelissime persequuntur. Alij non contenti sue, quam nacti sunt, sparta terminis, exualibus bellis imperij sui fines proferre student, alij & suis ipsorum subditis etiã ossium, q; dicitur medullam exugunt, atq; frequentibus exactioibus ita eos prædantur, ut uix eis reliquum relinquunt, quo latrantis stomachi famem sedare queant. Quid dicam de publicis latronibus, quorum tanta nunc frequentia est, ut nullus paulo ditior & numatior secure præ illis patrie sue fines egredi audeat. Quid item de sceneratoribus, quorum subinde potentia ita crescit, ut totum fere orbem, adeoq; potentissimos orbis monarchas sibi deuinctos habeant. Breuiter omnia tyrannide, exactioibus, pauperum oppressionibus & latrocinijs plena sunt, nusquam reperias iustitie locum, atq; adeo in publicis Iuditorum tribunalibus plus ualeat potentia quam æquitas, plus tyrannis quam leges, plus uolentia quam cause iusticia.

Iam ut Noe temporibus gigantes e filijs dei progeniem suam ducebant, ita nostræ ætatis tyranni, a Papa Episcopis, atq; alijs, quos uocant spiritualibus, qui in mundo hactenus pro filijs Dei habiti sunt, eo impelluntur ut pios persequantur, in Euangelio seuiant, & uerbum domini crudeliter damnent, pro quibus scilicet

D ij

cine

HOMILIA TERTIA.

cinoribus uocantur interim ab Episcopis. Catholicæ ecclesie defensores, Christianæ religionis propugnatores, & hereticæ prauitatis euersores. Iustificantur quoq; ab illis, in publicis suis sceleribus, tyrannide, crudelitate, & actionibus quibus subditos suos pauperes opprimunt, quis igitur non iure diceret? Quid autem sequitur.

Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad mala, omni tempore, penituit eum quod hominem fecisset in terra, & ractus dolore cordis intrinsecus, delebo (inquit) hominem quem creauī, a facie terre, ab homine usq; ad animantia, a reptili usq; ad volucres cæli, pœnitet enim me fecisse eos

Aliter uidet homo, aliter Deus, Videbant homines ante diluuium in moribus suis nullam impietatem, nullam iniquitatem, nullam inhonestatem, tametsi enim edebant, & bibebant, tamen hoc honestæ amicitie & ciuilitatis symbolum iudicabant. Tametsi matrimonia contrahebant, illa tamen non nisi ueneranda et honoranda apparebant. Tametsi pauperes opprimebantur & fines imperiorum mutuis cædibus proferebantur, tamen existimabant hoc iure magistratus & belli licere, Nihil igitur impietatis in moribus suis honestatis præ-

IOANNIS BRENTII.

tis prætextu conspicuum uidebant, At longe aliter Deus uidet, non enim iudicat secundum externam honestatis speciem, sed secundum occultas animi latebras, & absconditos cordis recessus, itaq; uidet multam hominum malitiam in terra. Primum q; uidet corda hominum, non nisi pessima quaq; scelera meditari, uidet diffidentiam, incredulitatem, contemptum Dei, ambitionem, arrogantiam, inuidiam, odium, auariciam, libidinis cupiditatem, uindictæ desiderium, adeoq; omnium flagitiorum concupiscentiam. Ad hæc uidet mendacia, periuria, conuicia, maledicentiam, spurciciem, obscenitatem, stultiloquium, quæ in hoc mundo fere pro urbanitate reputantur. Ad extremum, uidet omnia externa opera, aut palam impia, aut palam scelerata, idololatriam, hypocrisim, fornicationem, adulterium, homicidium, furtum, latrocinium, quæ si a potentibus & celebribus uiris fiant, nullam habent infamiam, sed ea, fortitudinis exercendæ ac desidia minuendæ causa fieri prædicant. Breuiter, uidet Deus incredibilia scelera, quæ & in diuinam maiestatem, & in proximi caritatem designantur. Proinde pœnitet eum fecisse aut creasse hominem.

Quid hoc noui est? Num Deum, qui est omnium rerum sapientissimus consultor, & administrator, alicuius facti, tanquam imprudenter & stulte

HOMILIA SECUNDA

stulte dispositi penitet? num Deus mutacioni affectuum obnoxius est? Absit, ut talia de Deo uel saltem suspicemur. nullius enim rei Deum natura sua penitet, sed dicitur pro nostro affectu penitere. Etenim quemadmodum homines priora sua consilia, & conatus tanquam inutiles et incommodos repudiantes, atq; noua consilia & conatus capessentes penitere dicuntur, ita Deus in se semper immutabilis existens, externum autem rerum statum, iusto consilio se mutaturum proponens, penitentia prioris status pro humano more duci uideatur. At qui, non est illa dei, sed rerum mutatio, non est conditoris, sed conditionis inuersio, non est creatoris, sed creature uarietas. Ergo cum dominus dicit, se penitere conditi hominis, significat se orbis statum mutaturum, sic enim sequitur.

Delebo hominem quem creauit a facie terrae ab homine usq; ad animantia, a reptili usq; ad uolucres caeli.

Atq; ita primum omnium, post conditum orbem, significat Deus sese propter publicam hominum iniquitatem, ueteres regionum habitatores aut eicere, aut in totum perdere, & novos colonos introducere, id quod postea multis exemplis comprobatum est. Sic perdidit dominus Cananeos, & induxit Israelitas. Sic perdidit regnum Israel & induxit Assyrios.

IOANNIS BRENTII.

rios. Sic translati sunt Damasceni ad Cyrenen. Sic regnum Iuda in Babilonem eiectum est. Custodite, inquit scriptura. leges meas, atq; iudicia, & facite ea, ne & uos euomat terra quam intraturi estis, & habitaturi. Igitur cum lex Dei non obseruatur, euomit terra habitatores suos, non potens ultra tam iniquos & sceleratos homines ferre. Cuius rei primum specimen exhibuit dominus Deus noster generali diluuiio, quo totius terrarum orbem perdidit, & nouam coloniam introduxit.

Sed tempus est ut nunc discipiamus quid nostra etate dominus in terra uideat. Dies me deficeret si omnia seculi nostri scelera enumerare pergerem, tantundem est uitiorum, quantum hominum, maior quotidie peccandi cupiditas, minor uerecundia est, nec fortitua iam scelera sunt, praeter oculos eunt, adeoque in publicum missa nequicia est, & in omnium peccatoribus eualuit, ut innocentia non rara sed nulla sit. Non singuli aut pauci rumpunt tam ciuiles quam diuinas leges, sed undique uelut signo dato, ad fas nefasq; miscendum cooriuntur, iam quod ethnicus de sua etate scribit dices cum de nostri seculi moribus uaticinatum esse. Viuitur exrapto non hospes ab hospite tutus. Non socer a genere, fratrum quoq; gratia rara est. Imminet exitio uir coniugis, illa mariti. Filius ante diem patrios inquirat in annos, Victa iacet pietas, et uirgo

HOMILIA TERTIA.

eade madetes, ultima coelestium terras Astrea reliquit  
Neue foret terris securior arduus ether. Affectasse fe-  
runt regnum caeleste gigantes. Altaq; congestos stru-  
xiffe ad sidera montes.

Fabulas (inquis) nobis recitas, Quis enim nostris  
temporibus uidit gigantes montes ad sidera struere,  
et caelo bellum inferere? Bona uerbo quae so, non fabu-  
las, non nugae, sed res gestas commemoro. An non est  
montes congerere, & ad sidera struere, coniurationes  
atq; foedera ad persequendum DOMINI nostri Iesu  
Christi Euangelium percutere? An non est caelo bel-  
lum inferre uerbo dei resistere? uerbum dei perse-  
qui? & diris mandatis ex ecclesijs Christi (si dijs  
placet) depellere? An non est regnum caeleste affecta-  
re? in templo dei sedere? seipsum Deum ostentare?  
atq; aduersus omnem qui dicitur Deus aut numen esse  
ferri? Tales autem mores, O nos miseros & calamita-  
tosos homines, nostra fert aetas.

sed relicto Ethnicorum uaticinio, uideamus potius  
quam dilucide, quam perspicue, diuinus uates corru-  
ptissimos hominum mores depingat. Dominus (in-  
quit) de caelo prospexit super filios hominum ut ui-  
deat si est intelligens aut requirens Deum, omnes de-  
clinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat  
bonum, non est usq; ad unum. sepulchrum patens est  
guttur eorum, linguis suis delosc agebant, uenenum  
aspidum sub labijs eorum. Ad Iudeos (inquis) ista per-

IOANNIS BRENTII.

tinent, non ad nos? Utinam uere istud diceret. Et quis  
non optaret saeculi nostri mores paulo puriores esse,  
quam a diuino uate describuntur. Sed, heu malum,  
uix media scelerum nostrorum pars ab ipso descri-  
pta est, usq; adeo nihil non sceleribus nostris in religi-  
one, in ciuilibus moribus, in publicis & priuatis nego-  
tjs atq; contractibus, in aulis principum, in tribuna-  
libus iudicum, in foro, in domestica familia, imo in suo  
unius cuiusq; corde fedatum atq; contaminatum est.

Quis ergo animus, aut que mens dei est inter tot  
incredibilia hominum flagitia? Poenitet Deum fecisse  
hominem. hoc est, poenitet cum nostram Germaniam  
tot opibus, tanta potentia auxisse, tot praeclaris inge-  
nijs, & nuper etiam tam manifesta Euangelij Iesu Chri-  
sti reuelatione decorasse, pro quibus beneficijs Ger-  
mani non aliam gratiam referunt, quam quod sub  
inde sceleratiores in proximum, & in Deum magis  
impij efficiuntur, Et cum dominus ipsos prae alijs gen-  
tibus, fortitudinis dono honorauerit, tanta in gratitu-  
dine eo dono abutuntur, ut Germaniae milites, quos  
Doryphoros uocamus, non tam suam ipsorum patri-  
am, quam omnes fere exteras in uicino positas regio-  
nes, expilent, deprudentur, deripiant, & deua-  
stent. Cum igitur aliae regiones, ob scelera sua, saepe  
numero deuastatae sint, & habitatores earum frequen-  
ter aut interfecti occubuerint, aut sedibus suis per bel-  
la & se-

HOMILIA SECUNDA

la & seditione sint eieci, quid de nobis Germanis aliud futurum expectandum esset, quando maiora flagitia alijs regionibus designauerimus.

Ne autem pij existiment sibi una cum impijs pereundum esse, ac nullam sibi effugiendae imminentis calamitatis uiam patere, redeamus ad nostram historiam, in qua ita sequitur.

Noe uero inuenit gratiam coram Domino, & postea, Noe uir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis & cum Deo ambulauit.

Vnde obsecro inuenit Noe gratiam? Non ex operibus, non ex meritis, Omnis enim caro corruperat uiam suam, sed ex fide quam Noe ex promissione diuina conceperat. Sic enim de ipso scribit Apostolus ad hebreos, dicens, Per fidem admonitus oraculo Noe, ea quae non dum uidebantur ueritus, apparauit arcam ad salutem domus suae, per quam arcam condemnavit mundum, & eius quae secundum fidem est, iustitiae factus est heres. Cum igitur Noe hereditatem iustitiae per fidem esset consecutus, & Deo propter fidem placere, ne iustus una cum iniustis periret, praecipit ei Deus, ut arcam fabricaret, & in arca una cum octo animabus seruarietur.

*Deus in uultu  
et in  
Christi uultu  
in uultu*

Quid? putas ne haec, dumtaxat propter Noe scripta esse

IOANNIS BRENTII.

pta esse? minime omnium, Noe scriptura non eget, nos qui superstites sumus, egemus. Nam in Noe, ueluti in speculo, animus diuinus relucet, nimirum quod Deus in imminentibus periculis, omnibus pijs praecipiat, ut sibi arcam parent, in qua possint perditis impijs seruari, non enim perdit dominus iustum cum impio, sed quemadmodum petrus ait. Nouit pius et temptatione eripere, iniustos autem, in die iudicij puniendos, seruare. Tunc autem uere apparauimus arcam cum fide DOMINVM nostrum Iesum Christum complectimur & per Christum, Deum patrem inuocamus, ad eoque cordis fidem dignis penitentiae fructibus testamur. Sic enim per fidem similes patriarchae Noe effecti, ab omnibus periculis & afflictionibus

ita liberabimur, ut quicquid nobis aduersi acciderit adiumento

sit in bonum, per Iesum

Christum domi-

num nostrum

qui est

Deus laudandus in secula, AMEN.

HOMILIA QUARTA.

Hactenus dilectissimi, tractauimus, uerbi domini uocia hominum scelera declarauit. Adhaec paucissimis

mis

HOMILIA QUARTA.

simis, exemplo Noe demonstrauimus, qua ratione imminens periculum & calamitas euitari queat, nimirum, fide in diuinam promissionem, & resipiscentia, quibus solis rebus ira dei placari potest, quae tamen alioqui nulla humana, uel potentia, uel prudentia, uel iustitia, reconciliabilis est. Nunc autem uideamus minas & indignaciones dei, non amplius uerbo graues, sed executione, & factis intolerabiles. Porro non est, quod quisquam a nobis expectet, ut singula & minutissima quaeq; in historia Noe, de fabricatione arcae, aut alijs rebus comprehensa, examussum persequamur, sed ea tantum decerpemus, quae nostro argumento, a nobis pro temporis ratione, ad exhortationem resipiscentiae suscepto, apte conueniant, eos imitati, qui ad colligendos flores in uirginitate praesese conferunt. Hi enim eum omnes cuiuscumq; generis flores probent, admirentur, nullosq; fastidiant, sed ex omnibus uoluptatem capiant, eos tamen tantum decerpunt, quos uident suo uel usui, uel commodo in praesens tempus aptas. Posteaquam igitur Noe iuxta mandatum domini arcam preparasset, dixit dominus ad eum,

Ingrede te & omnis domus tua in arcam, te enim uidi iustum coram me in generatione hac, adhuc enim post dies septem ego pla

am

IOHANNIS BRENTII.

am super terram quadraginta diebus & quadraginta nocibus, & delebo omnem substantiam quam feci de super ficie terre.

Primum omnium uide mihi iram dei grauissimam & seuerissimam, delebo, inquit, omnem substantiam quam feci. Quae est illa omnis substantia? Omnes nimirum homines, omnia peccora, omnes bestiae et omnes uolucres. Quid hoc (inquis) negotij est? si Deus punit propter peccata, & soli homines maiores natu peccant, cur pueri, & ad externa scelera attinet, innocentes, cur infantes, cur embryones adhuc in utero materno existentes, una peremit? Aut si iuniores ac minores seniorum atq; maiorum delicta ferunt, cur non parcat Deus pecoribus, qui homines peccantes, nec impedire, nec ipsa peccare possunt? Cur non uolucris, quae cantu suo semper deum laudant, hominum autem scelera auertere non queunt? sane maximam in hoc facto dei, non tam seueritatem quam crudelitatem uidemus, ab sit tamen, ut eam uel iniustam uel inquam dicamus. Etenim multae sunt causae propter quas dominus tantum atrocem crudelitatem, ut nec infantibus, nec bestiis, nec uolucris pepercerit, in diluuiio ostentauit.

Primum enim hac seueritate uoluit Deus omnes posteros maiores et parentes in officio pietatis continere, ut agnoscentes diuinum iudicium tam graue & tantum seuerum esse, ut propter maiorum delicta omnes agros,

omnem lo

HOMILIA SECVNDA

omnem locū, omnes infantes, omnes bestias, omnes uolucres, omnē deniq; terrarū orbem maledicta, contāminata, fœdata et sordidata iudicet, hæc in quā agnoscentes in timore domini ābulent, in obediencia fidei perseuerent, liberos suos, per correctionem domini educent, omnibusq; creaturis non, pro sua libidine, sed pro ratione creacionis & mandato creatoris utantur. Nam & lex diuina testatur omnia per hominum scelera inquinari, si audire, inquit Mose, nolueris uocem domini tui, ut custodias et facias omnia mandata eius, maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictus horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus uentris tui, & fructus terre tuæ, maledicta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Iam & hæc maledictio ad cælum usq; pertingit, Cælum inquit, quod supra te est enecum erit, & terra quam calcas ferrea. Proinde dominus nō inique, sed iuxta legem æquitatem una cum sceleratis hominibus etiam infantes, natura quidem sua in e dei filios, & peccato obnoxios, nondum tamen externis flagitijs inquinatos, & bestias & uolucres alioqui bonas dei creaturas, sed tamen propter principis sui hominis inobedientiam maledictione sordidatas, optimos iure & summa iusticia prodit atq; radicitus euellit,

Deinde hac quoq; diluuij securitate, omnibus impijs certissimo argumento indicare uoluit, indignationem

IOANNIS BRENTII.

tionem et minas suas minime esse uanas, sed esse atrocissimas, minime iocosas, sed maxime serias esse, impij enim non possunt uerbis eo adduci, ut credant tantam esse dei tyrannidem, & crudelitatem in peccatores, quanta prædicatur, Benedicunt enim, ut est apud Mosen, sibi in corde suo, dicentes, pax erit mihi, ambulabo in sensu cordis mei, Et apud Esaiam. Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans cum transierit non ueniet super uos.

Sed quid est, quod grauitatem seueritatis diuinæ in diluuiō ostentatam admiremur, cum dominus nuper adeo in Vngariæ regno eandem indignationis suæ seueritatem per Turcam ita declarauerit, ut quiuis prudens facile conijcere possit, iram dei maiorem & grauiorem esse, quam quæ cogitatione humana comprehendit, aut uerbis explicari queat, illie enim non mulieres solum pregnantes, uerumetianm pueri, ac plane infantes (non enim adolescentes, non iuuenes & uiros commemoro) crudelissime trucidati sunt, atq; in medium, ut fama fert dissecti, quibus tamē alioqui etiam immanissimi barbari parcere solent, quo igitur Turca in mulieres innoxias, & infantes innocentes atrocius seuit, eo grauiorem Dei iram animaduertere licet.

At quod Christus de Galileis quorum sanguinem

E Pilatus

HOMILIA QVARTĀ.

Pilatus cum sacrificijs illorum miscuerat, aut de illis decem & octo supra quos cecidit turris in Syria, ad auditores suos Iudeos dixit. Idem nimirum de Vngaris ad nos Germanos dicendum est, Putatis quod Vngari prae cunctis hominibus peccatores fuerint & talia passi sunt? non dico uobis, imo nisi resipueritis omnes similiter, aut etiam crudelius peribitis. Si quidem nos Germani atriciora designamus scelera, quam fortassis Vngari unquam designarunt, Etenim Vngari Euangelium domini nostri Iesu Christi nunquam pure, sinceriter, aut absque fermento papistico audierunt, & si multum, gustarunt. Porro seruus nesciens uoluntatem domini, & faciens digna plagis, uapulabit paucis.

Nos uero iam multis annis puritatem Euangelicae doctrine ad facietatem, ad fastidium ad nauseam usque audimus, non tamen uel piso, meliores reddimur, sed potius subinde in maiora flagitia precipites ruimus, Quid ergo aliud expectandum nobis esset, quam quod Christus dicit, Seruus qui cognouit uoluntatem domini sui, & non se preparauit, nec fecit secundum uoluntatem eius, plagis uapulabit multis. Et alibi, Vae tibi Chorazin, Vae tibi Bethsaida, quoniam si in urbe Tiri aut Sidonis factae fuissent uirtutes, quae factae sunt in uobis, olim in sacco et cinere poenituissent. Nam si seruus ignorans uoluntatem domini, ac digna plagis faciens uapulabit paucis, Et paucae plagae sunt, si mulieres

IOANNIS BRENTII.

Pregnantes, et infantes trucidetur, quemadmodum nuper in Vngaria contigit, quantae obsecro plagae, quam atroces, quam crudeles, nos impenitentes Germanos multis uapulatos manent?

Ne autem qui animam ad resipiscentiam adpellunt, desperent, quemadmodum dominus in diluuium, ita & his temporibus clementiam, misericordiam, atque bonitatem suam ostendit, nam toto etiam mundo pereunte, seruauit in arca Noe cum familia sua.

Ingedere (inquit) tu & omnis domus tua in arcam, te enim uidi iustum coram me in generatione hac.

Quibus uerbis dominus significat se patriarcham Noe una cum familia sua in arca a diluuii aquis seruatum, propterea quod solum Noe fide iustum uiderit. Hic mihi animaduerte rem maxime omnium stupendam, in toto terrarum orbe, in mundo recens condito, cum creacio nouiter a Deo facta adhuc hominibus alta mente reposita esset, in familijs pijsissimorum patriarcharum, non est nisi unus iustus repertus cum pauissima familiae cuius tamen pietate, postea, Cham minor filius Noe per impietatem defecit.

At non est ut haec piorum paucitas, nos ad desperationem impellat sed potius in fidem et spem erigat, nam quod tam pauci temporibus diluuii iusti inuenti sunt, non diuinae misericordiae, non difficultatis, diuinam clementiam

E ij per fidem

HOMILIA QVARTA

per fidem assequenda, sed duricie & perniciatâ hu-  
manâ culpa fuit, quæ nec uerbo domini, nec tam diutur-  
no ad pœnitentiam tempore concessio, nec ullis alijs boni-  
tatis diuinæ beneficijs corrigi, atq; in rectam uiam  
reduci potuit. Tametsi igitur percuntium impiorum  
multitudo nos terrere, et uehementem diuini iudicij ti-  
morem incutere posset, tamen piorum paucitas rur-  
sus nobis fiduciam tribuere, & in spem erigere debet,  
quandoquidē in illis quantumuis paucis, qui per fidē  
e periculis liberantur, maxime omnium diuinæ boni-  
tatis clementia ita elucet, ita omnibus obuia exponi-  
tur, ut cuiuscunq; libet eam per fidem arripere, ea frui  
licet. Itaq; agnoscentes liberalitatem bonitatis, diuina  
omnibus manifeste propositam esse, abiectam  
perniciatiam, diuinam autem bonitatem quæ æquæ mul-  
tis, ut paucis, sufficit cœpessamus, id quod tunc optime  
prestabimus, si quatenus conueniet, exemplum Noe  
per fidem sequamur, de quo ita scriptum est.

Fecit Noe omnia quæ mandauerat ei dominus.

Quæ ergo ei mandauit? Primum mandauit ut ar-  
cam prepararet, cui mandato adiecit, seuerissimam cō-  
tra omnes homines sententiam, dicens. Finis uniuersæ  
carnis uenit coram me, & posita delebo omnem sub-  
stantiam quam feci de terra. Adiecit præterea prom-  
missionem

IOANNIS BRENTII.

missionem ponā inquit, fœdus meū tecum, et in gre-  
dieris arcam, tu & filij tui, uxor tua, et uxores filio-  
rum tuorum. Hæc autē promissio fidem requirebat,  
proinde ante omnia dominus Noe fidem præcipit, quæ  
admodum non alia re quam fidei, ipsum iustum reputa-  
uit. Postremo præcepit ei, ut in arcam intraret, & in  
ea quadraginta diebus ac noctibus maneret, adeoq; se-  
cum ex cunctis animantibus uniuersæ carnis, bina in-  
troduceret. Et hæc mādāta Noe accipiens, ex fide qui-  
dem ea impleuit, non tamen sine grauissimis afflictio-  
nibus, & maximo uitæ suæ discrimine. Etenim cum  
predicaret futurum diluuium, & propter illud arcam  
ædificaret, facile conijci potest eum ab alijs hominibus  
stultum & insanum habitum, atq; irrisum fuisse, præ-  
sertim cum ante diluuij aduentum, omnia in prospero  
ac foeliâ rerum statu esse uiderentur, nec ullum appa-  
reret futurum diluuium. Quod si etiam futurum esset,  
stultissimum tamen iudicabatur fragili ligno salutem  
uitæ suæ committere. Quid dicam de periculis quæ in  
arca per quadraginta dies sustinuit? nunc a lupis et fē-  
ris animalibus, nunc a procellis & aquarum inunda-  
tionibus, capiti suo ita imminetibus, ut toties mortem  
oppetere sibi uideretur, quociens aspectaret procellam  
procul appropinquantem. Ex omnibus tamen illis pæ-  
riculis dum in fide perduraret incolumis euasit, colum-  
ba terræ exactionem ramusculo oleæ indicante.

HOMILIA QUARTA.

Haud dissimiliter nobis quoq; dominus mandat. Pri-  
 mum ut arcam præparemus, Porro arca nostra DOMI-  
 NVS noster Iesus Christus est, qui in nobis formatur  
 quando in nomen eius credimus, & in ipsum solum  
 omnem nostram fiduciam & spem collocamus. Cui  
 mandato adiecit dominus seueram in incredulos sen-  
 tentiam, dicens. Qui non crediderit iam condemnatus  
 est, Adiecit quoq; liberalissimam promissionem.  
 Quotquot inquit, recipiunt eum, dat eis ut licet  
 filios dei fieri, Et iterum. Sic Deus dilexit mundum  
 ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit  
 in eum non pereat, sed habeat uitam æternam, Post-  
 remo mandat ut arcam ingrediamur. Ingridimur  
 autem eam quando baptizamur. Quotquot, inquit,  
 Paulus baptizati estis, Christum induistis. At non satis  
 est ut ingrediamur, nisi etiã in ea quadraginta diebus  
 & noctibus, hoc est per totum uite nostræ cursum  
 perseueremus. Certe, si Noe uel quispiam filiorum  
 eius ex arca temere in aquas exiliisset, aquis obrutus  
 periisset. Nos uero tunc in arca perseueramus, cum  
 in fide Iesu Christi perdurantes, obsequium Deo &  
 uerbo eius prestamus. Tunc autẽ exilimus, quoties uel  
 in aduersis de misericordia dei per Christum diffidi-  
 mus, aut per inobedientiã mandata domini præuicamur.  
 Quæ ergo nobis salutis spes relicta est? siquidem  
 pleriq; omnes temere ex arca nos in aquas coniecimus  
 et mar

IONNIS BRENTII.

et mandatis diuinis nõ obediimus. Ergo ne nobis una  
 cum toto mundo pereundum est? Absit. Ex arca enim,  
 nobis tabula proiecta est, cui si adhareamus, licet  
 denuo ad arcam, appellere atq; adnatate. Rogas quis  
 illa sit tabula? non est alia nisi conuersio per fidem  
 ad dominum, & resipiscentia, quæ non inepte a uete-  
 ribus secunda post naufragium tabula dicta est. Per-  
 seueremus igitur in arca, hoc est DOMINO Iesu  
 Christo, aut si temere, nos ipsos ex arca eicamus,  
 redeamus ad ipsam per resipiscentiæ tabulam, ut cre-  
 dentes, non solum diluuium, quod a Tyrannide Tur-  
 cæ nobis imminet, uerumetiam alia discrimi-  
 na & aduersitates, quocunq; tempore  
 nos affligentes, tuto euadamus  
 per Iesum Christum DO-  
 MINVM nostrũ  
 qui est Deus  
 laudandus

in secula, AMEN.

B iiij

Histo

# HISTORIA

SECUNDA DE INCENDIO SO-

DOMITICO, GENE. 18 et 19.

HOMILIA QUINTA.

**I**N HISTORIA DE NOE ET DILUIO  
proposuit nobis, dilectissimi, spiritus sanctus ob  
oculos nostros, primum bonitatem, patientiam, & lon  
ganimitatem Dei, dum revelatione uerbi diuini, impij  
ad poenitentiam ante supplitium uocantur, deinde se  
ueram indignationem dei, quod impios una cum infan  
tibus, bestijs terre, & uolatilibus caeli diluuiio perdis  
derit, Postremo misericordiam et clementiam eius, dum  
pius Noe una cum familia sua seruatur. Vnde admonui  
mus caritatem uestram, ut in ea historia tanquam in  
exemplari discamus, & quid nobis in omni rerum di  
scrimine, imo toto uite nostrae tempore agendum, &  
nisi diuinis monitis obsequamur, quid supplitij nobis  
expectandum sit, Et ne quis, de alienis tantum mori  
bus conqueratur, & dicat se alacri uoluntate ad resi  
piscantiam aspirare, modo alij quoque resipiscant. Cum  
autem neminem intelligat, uitam suam in melius muta  
re, & se unum minorem aut impotentiore esse, quā  
ut solus

IOANNIS BRENTII.

ut solus iram Dei auertere queat, nolle etiam de ea  
re amplius esse sollicitum, sed sese potius ad aliorum  
ingenia uelle comparare, hic exemplo Noe facile ab  
ignauia, ad piam resipiscendi sollicitudinem retrahi  
potest. Nam etiam si, quisquis ille fuerit, unus ac solus  
non possit publicam calamitatem auertere, suam tamē  
animam seruabit, id quod in Noe factum esse uide  
mus, & testatur dominus per Ezechielem. Filij homi  
nis, dicens, terra cum peccauerit mihi, ut praeuarice  
tur praeuaricans, extendam manum meam super eam,  
conteram uirgam panis eius, & immittam in eam  
fame, & interficiam de ea hominem & iumentum,  
& si fuerint tres uiri isti in medio eius, Noe, Daniel,  
& Iob, ipsi iustitia sua, liberabunt animas suas, ait do  
minus exeratum. Itaque, siue alij resipiscant, siue non  
resipiscant, unusquisque tamen per se etiam solus hoc  
exacta diligentia (si modo salutis suae rationem habet)  
curare debet, ut per fidem dignos poenitentiae fructus  
faciat, & a uentura ira fugiat. Ceterum quia quod ad  
nostrum argumentum attinet, satis haecenus ex ea hi  
storia tractatum est, digrediemur nunc ad aliam hi  
storiā, ad rationem nostri argumenti non ineptam,  
nimirum ad eam, quae in libro Geneseos de Loth &  
Sodomitico incendio conscripta est, in qua plane eadē  
quae in priori, nobis in nostri doctrinam proposita est  
se animaduertimus, eandem uidelicet longanimitatem

E V Dei,

HO MILIA QVINTA.

Dei, eandem seueritatem iræ eius, erga peruiçacis impios, eandem quoq; clementiam ac misericordiam impios credentes, et resipiscentes. Primæpio longanimitatis & paciencie est, quod deus multo ante tempore imminens supplicium super Sodomitas & Gomorrhitas reuelat, sic enim ait ad Abraham.

Num coelare potero Abraham, quod gesturus sum.

Reuelat autem dominus uerbo suo futurum aliud quod supplicium ob multas & uarias causas. Primum ut palam declaret, quam molestum ei sit, si necesse habeat homines propter peccata punire. Etenim, si multa uoluptate ad affligendos impios duceretur, tæctus secum consilia sua premeret, ne quis conscius futura supplicia euitaret. Nam qui, aduerso animi affectu, alijs malum inferre conatur, tæctus cordis sui consilia celat, ne aduersarius resciscens cauere possit, itaq; cum Deus consilia & conatus mentis sue de futuro aliquo supplicio aperit, profecto re ipsa significat, se non ex inuidia, neq; iniusta ira, neq; uoluptate aliqua poenas illaturum, quippe qui natura sit clemens, & omnibus misericordie beneficiis, quæ indignationis supplicia inferre malit. Deinde reuelat dominus imminentes calamitates, ut dilacione supplicij resipiscentie tempus indiet, & eo ipso quo aliquid futuri supplicij prædicat, moneat, ut illud per resipiscentiam caueatur. Si

quæ

IOANNIS BRENTII.

quando ad homines ante diluuium existentes dixit, Erunt dies illorum centum uiginti annorum, certe mouit eos, ut infra huius temporis spaciū resipiscant. Sic dicendo ad Niniuitas, Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur, quid aliud dixit, quam RESIPISCITE. Postremo ut posteritas, futurarum rerū exemplum ob oculos posita in promptu habeat, ne nouis semper reuelationibus opus sit. Hec enim diuina est consuetudo, hi dei mores sunt, ut res nouas & ante inauditas nouis miraculis inapiat atq; confirmet, quæ cum fuerint confirmatæ, postea sine nouis miraculis progredi solent, Nam & lex, primum miraculis lata est, & Euangelion miraculis reuelatum est, quæ tamen nunc sine nouis ac manifestis miraculis prædicantur. Sic & supplicia impiorum miraculis diluuij, & incendijs Sodomiticis incepta atq; confirmata sunt, nunc autem sine miraculis & priuatis rationibus ita prædicantur, ut in quacunq; gente, in quacunq; regione, non dissimilem impietatem inuenias, non dissimilia ei aut fortassis grauiora supplicia imminere certe cognoscas, id quod uerba dei testantur, ita ad Abraham dicentis

Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, & benedicendæ sunt in illo omnes nationes terræ, scio enim quod præcep-

pturus

HOMILIA QUINTA

pturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt eius stodiant viam domini, & faciant iudicium & iustitiam vt perficiat dominus propter Abraham omnia quæ promissit ei.

Est autem Abraham in gentem magnam factus, primum iuxta carnem quales sunt Iudei, deinde iuxta fidem, quales sunt gentes, Christum per fidem agnoscetes, quarum Abraham pater dicitur, tum propterea quod eiusdem fidei cum Abraham sunt, tum quia in illud semen Abraham promissum, quod est dominus noster Iesus Christus, credunt, in exemplum igitur utriusque populi, & Iudeorum & gentium, factum est Sodomæ in cænium, ut ex ipso discant quid propter peccata sit futurum, & ut aliena insania fruantur, atque per resipiscentiam, quicquid mali imminet, euitent. Huc respicit Petrus in posteriora sua Epistola dicens. Deus ciuitates Sodomorum & Gomorræ in cinerem redactus subuersione condemnauit, eosque facit exemplum his qui in pie forent acturi. Videamus ergo nunc quomodo dominus reuelet Abraham, quod sit in exemplum omnium gesturus.

Dixit itaque dominus clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis, descendam & uidebo eorum clamorem, qui uenit ad me, opere impleuerunt, an non sit ita, ut sciam.

IOANNIS BRENTII.

Quid est quod dicit, descendam & uidebo? nonne dominus ut omnipotens, ita omniscius? Respondeo, scriptura sic de Deo iuxta humani affectus rationem loquitur, non quod deus natura sua mutabilibus affectibus obnoxius sit, sed ut omnes tam iudicis & magistratus, quam priuati homines hoc exemplo erudiantur, ne quenquam, causa inaudita, & legitimis testimonijs nondum comprobata, condemnent. Si enim dominus Deus noster, qui presentissimam omnium rerum cognitionem habet, non iuxta uulgarum morem, & clamorem iudicat, quanto minus conuenit, ut homines rerum ignari, ad leuissimum uulgarum morem sententiam suam in reum pronuncient? Quis ergo ille clamor fuit qui ad Deum ascendit? De hac re audiamus primum, testimonium domini nostri Iesu Christi ita dicitis. In diebus Loth edebant, bibebant, emebant, uendebant, plantabant, edificabant. Num hec (inquis) in coelum clamant? num hæc sunt opera impia? Non reijcit Christus uel moderata conuiuia, uel ciuiles contractus uel ædificia, sed frequentia horum operum ostendit securitatem, huius seculi amorem, & contemptum dei. Que uero ex his apud Sodomitas & Gomorrhitas prouenerint, audi Prophetam Ezechielem sic dicentem. Ecce hæc sunt iniquitas, Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, et otium ipsius, ac filiarum eius, & manum egeno & pauperi. ri. no

HOMILIA QUINTA.

ri non porrigebant, & eleuatae sunt, & fuerunt abominaciones coram me & abstuli eas sicut uidisti, ergo et tu porta confusionem tuam, quae uiaſti ſorores tuas peccatis tuis, ſcleratius agens quam ipſe aegerunt. Iuſtificate enim a te ſunt. Quo in loco Propheta futura deuaſtationem Iudae ab exemplo Sodome & Gomorrhae praedicat, propterea quod Iuda ſcleribus ſuis peccata Sodome & Gomorrhae, non dico aequauerat, ſed ſuperauerat. Igitur ab eodem exemplo diuinare licet, quantum nobis Germanis ſupplittum imminet, quandoquidem collatis moribus inueniemus peccata et ſclera noſtra, Sodomorum iniquitatem, longiſſimo fere interuallo ſuperare Quid ergo faciemus? Quid? Reſipiſcamus & domino noſtro Ieſu Chriſto in cuius nomen baptizati ſumus, conſidamus, atq; ex fide, uer-

bo Domini obſequamur. Sic enim fiet ut etiam

ſi ſeueriſſima ſupplittia dominus nobis  
minatus fuerit, per fidem tamen

reconciliatus, clementer no-

bis illa remittat, in do-

mino noſtro Ie-

ſu Chriſto

qui eſt Deus lau-

dandus in ſecula, AMEN.

Audi

IOANNIS BRENTII.

HOMILIA SEXTA.

**A**Vdiuimus amiſſiſſimi dominum Deum noſtrum Abraham reuclaſſe, quod ſeuerum Sodomitis & Gomorrhitis ſupplittum propter impia ſclera immineat, & quod in noſtri admonitionem, futura ſupplittia uerbo domini manifeſtentur, ut reſipiſcentiae ſpaciū nobis concedatur. Audiamus nunc exemplo Abrahae, qualis debeat eſſe affectus piorum hominum, ſi quando ſentiunt horrendam domini iram ſuper uianos, aut proximos ſuos uenturam. Nam qui mali aut inuidi ſunt, magno afficiuntur gaudio, ſi proximi ipſorum aduerſis obijciuntur. Sic Ammonite templo domini deuaſtato dixerunt, euge euge, quod pollutum ſit, & ſuper terram Iſrahel, quoniam deſolata eſt, & ſuper domum Iuda, quoniam ducti ſunt in captiuitatem. Sic de Ieruſalem Tirus dixit, euge euge, confractae ſunt porte populorum, conuerſa eſt ad me, implebor, deſerta eſt, Qui uero incurij ſunt, uicinorum mala negligunt, nec ullum habent miſericordiae affectum, ſed delicijs dediti, uitam luxu tranſigunt, qualiſcunq; proximis calamitas acciderit, quod exprobrat Amos prociſibus in regno iuda, & dicit. Dormitis in lectis eburneis, & laſcauitis in ſtratis ueſtris, comeditis agnū de grege, & uitulos de medio armenti. Sicut Dauid, putant ſe habere organa cātia, bibentes uinum in phialis & optimo unguento de libuti & nihil compaciuntur

tuus

HOMILIA SEXTA.

tur super contricione Ioseph. Attamen nec inuidi nec incurij impune suos affectus ferunt, de inuidis Ammonitis dominus per Ezechielem ait, Ecce ego tradam te, filijs orientalibus in hereditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua, ipsi comedent fruges tuas, & bibent lac tuum. De incurijs autem proceribus Iude Amos inquit. Migrabunt in caupite transmigrantium. & auferetur factio lafauentiu. Qui autem spiritu fidei preediti sunt, hi uehementi caritate ardentis plus aliorum, quam suos ipsorum casus, & calamitates dolent, & si possibile esset, magna animi libentia salutis sue discrimine, aliorum salutem uindicarent, Quem affectum in Mose & Paulo uides quorum alter de libro uiuentium deleri, alter amatheia a Christo esse maluit, quam ut Israel periret. Ecce plane affectu Abraham pro Sodomitis & finitimis gentibus coram Deo contendit, & omnem lapidem mouet, ut ab ipsis indignationem dei & futura supplicia auertat, Sic enim inquit ad eum.

Nunquid perdes iustum cum impio, si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate peribunt simul, & non parces loco illi, propter quinquaginta iustos si fuerint in eo. Absita te ut hanc rem facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius, Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram nequaquam facies hoc iudicium.

Hic

IOANNIS BRENTII.

Hic mihi maximum caritatis affectum in Abrahamo animaduerti, nam Abraham ex caritate, que non cogitat malum, sed optima queq; de proximo credit, & sperat, confidit multos probos & iustos ciues in Sodoma esse, & quia ipse bonus ac probus uir fuit, cogitat inhabitatores Sodome & finitimarum ciuitatum que sunt Gomorrha Seboim & Adama non adeo corruptos, quin reperiantur in ipsis plures uere iusti atq; pii, quam quis credere posset. Itaq; uertit sese ad precationem, ualidissimum uidelicet arietem, quo arx diuini cordis concuti & expugnari potest, & dicit. Nunquid perdes iustum cum impio.

Hec est potentissima persuadendi ratio, qua Deus, mouetur, si gloriam nominis eius obuertamus, atq; probemus eam celebriorem reddi, si nostris uotis satis faciat, contemni uero & pessime audire, si nostra uota negligat, Sic Mose pro Israele Idololatra deprecans obuertit Deo gloriam nominis sui, quam periclitari asseuerat, si Israel, quamuis extremum supplicium meritus, intereat. Ait enim Ne queso dicam Aegyptij, callide eduxit eos ut interficeret in montibus, & deleret de terra, Et iterum, Ut audiant Aegyptij, de quorum medio eduxisti populum istum, & habitatores terrae huius, quod occideris tantam multitudinem, quasi unum hominem, & dicam, non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat idarco occidit eos in so-

F

litudine

HOMILIA SEXTA

litudine, Sic Hiskia, cum Saneherib rex Assyriorum nomen dei blasphemia afficeret, quod non posset Israelitum seruare, blasphemias illas coram Deo exponit, significans nisi dominus ipsos auxilio suo adiuuerit de gloria nominis diuini actum esse, sic & ipse Deus per Ezechielem facitur se Iudeos liberaturum non ipsorum merito, sed ad recuperandam nominis sui gloriam, & dicit, non propter uos ego faciam, dominus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluisti in gentibus ad quas intrasti, & sanctificabo nomen meum magnum, ut sciant gentes, quia ego dominus.

Sic & hoc loco, ut Abraham indignacionem dei aduersus Sodomitas coeptam mitiget, commemorat in oratione sua, deum, si pergat una iustum cum iniusto perdere, ingens gloriae nominis sui periculum subiturum, ita sentiens, Hactenus, O domine deus nobis, tanta gloriae amplitudine in orbe terrarum celebratus es, ut plerique omnes ingenue confiteantur te esse equum & iustum iudicem atque unicuique iuxta facta sua reddere, nec quemquam pro ingenio crudelium Tyrannorum innocentem punire, itaque si nunc perderes Sodomam & finitimas ciuitates, in quibus licet magna pessimorum hominum multitudo sit, reperiuntur tamen aliquot iusti & boni uiri, indigni qui cum sceleratis hominibus una perirent, profecto pessime

IOANNIS BRENTII.

pessime in toto terrarum orbe audies, qui prope qui nec pijs nec impijs parcas sed ad unum omnes perdas, Quis igitur postea gloriam nominis tui dicat? quis sacrificabit tibi hostiam laudis? iam cum tibi prouidentum sit, ne plus apud te ualeat Sodomarum & ceterarum urbium scelus quam tua dignitas, neue magis ire tue quam fame consulas, sed potior sit ratio gloriae tuae, quam meritorum impietatis habenda, Desiste obsecro a furore indignationis tuae, & si saltem quinquaginta iustos in omnibus illis ciuitatibus reperias, amabo propter illos etiam iniustis parce, non quod isti ueniam mereantur, sed quod sic gloria nominis tui promoueatur. Atque hunc numerum quinquaginta uidelicet iustorum, Abraham, inter tot millia posse reperiri secure sibi pollicetur. Nunc autem mihi uide quantum apud Deum ualeat iusti deprecatio Abraham enim statim quod a Deo petijt, impetrat. Dixit enim dominus ad eum.

Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in ciuitate parcam, omni loco propter eos

Animaduerte obsecro, admirandam & incredibilem dei clementiam atque bonitatem. Citius Deus ab animi sui praeposito discedit, quam ut sinat piam praerogationem esse uanam. citius sententiam suam re tractat

HMILIA SEXTA.

retractat, quam ut committat, ne fidelis precator, uorum suorum compos reddatur. Quid igitur pijs precibus potentius aut ualidius excogitari potest? Et quod magis beneficium, potuisset homini contingere, quam quod pietate precum suarum omnipotentem Deum, in suam sententiam pertrahere possit: quod quid aliud est, quam omnipotenti (ut ita dicam) potentio-rem esse?

Ceterum hoc quicquid est beneficij, contigit nobis per benedictum, semen Abrahæ, hoc est, dominum nostrum Iesum Christum per quem, quotquot in ipsum credimus, donamur spiritu, clamante Abba pater, & sanctificamur per eum, ut non solum audeamus, deum tanquam patrem inuocare, uerum etiam, certi efficiamur, ut quicquid patrem in nomine eius rogauerimus, confestim impetremus. Sed pergamus ad sequentia.

Respondens Abraham ait, quia semel cepi, loquar ad dominum meum, cum sim puluis & cinis. Quid, si minus quin quaginta iustis quinque fuerint, delebis propter quadraginta quinque uersam urbem.

Ex his intelligimus non fuisse quin quaginta iustos in Sodomo. Miseranda cerue & horrenda res, quod inter tot millia ciuium non fuerint quin quaginta iusti. Igitur cum Abraham in numero iustorum falsus esset, precam

IOANNIS BRENTII.

precatus ueniam, de summa subtrahit quinque, omnino fore existimans, ut quadraginta quinque in ciuitate iusti reperiantur, Quum uero in eo quoque falleretur, in subtractione pergit, donec perueniat usque ad decem. Obsecro (inquiens) ne irascaris domine si loquar adhuc semel. Quid si inuenti fuerint ibi decem? Declarat igitur Deus immensam suam misericordiam, quod multis millibus impiorum propter decem iustos parat, & supplicium meritum remittat, ait enim. Non delebo propter decem.

Declarat etiam Abraham, ardentissimam suam caritatem quam habet erga finitimam gentem, quod toties falsus in numero iustorum, in oratione pro Sodomo perseverat. Itaque dilectissimi talem affectum erga uicinos nostros nunc a Turca partim in exilium direptis omnibus bonis profligatos, partim in captiuitatem abductos, partim obsidione pressos induamus, ut ardentissimis precibus pro salute ipsorum dominum inuocemus, gloriam diuini nominis in oratione preterentes, uidelicet quod Deus sit iustus iudex, nec perdat pium cum impijs, sed potius propter paucos bonos & iustos toti alicui regione parat.

Quid igitur dicemus de Ungaria? est enim Ungaria per Turcam deuastata. Num ergo, ne decem quidem iusti in tota Ungaria reperti sunt? Quo nos ueremus? si diximus decem in ea regione iustos fuisse, faciemus

HOMILIA SEXTA.

deum mendacem, qui recipit se propter decem iustos urbem aliquam aut regionem conseruaturum? Si autem dixerimus, non fuisse in ea regione tot iustos, male de proximis nostris suspicabimur, quod caritatis affectus minime admittit. itaq; sic dicemus. & Deum esse ueracem qui propter decem iustos alicui regioni parcat, & in Vngaria multo plures quam decem iustos ac bonos fuisse.

Quare igitur Deus eam gentem uisitati tradidit? Principio id respondebimus quod Christus Apostolis suis respondet. Etenim cum a discipulis suis cecum a natiuitate uidentibus interrogaretur quis peccasset, hic an parentes eius ut cecus nasceretur, ait, neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Certo quidem scimus Vngaros esse in conspectu Dei peccatores, quis enim quantumuis iustus coram Deo iustificabitur? Si iniquitatem obseruaueris (inquit Psalmus) Domine, quis sustinebit? tamen ut nunc pro caritatis affectu de ipsis iudicemus, pronunciamus ipsos hoc tempore non propter peccata sua, sed ut in ipsis consilia Dei nobis Germanis palam fiant, afflictos esse.

Que ergo sunt illa dei consilia? Audite obsecro attentius animis. DOMINVS reuelauit nobis Euangelij doctrinam, manifestauit iterum fidei in Iesum Christum iustificationem, hactenus non dico obscura-

tam, sed

IOANNIS BRENTII.

tam, sed prorsus extinctam. Germani autem, hoc dei beneficium quo neq; maius, neq; excellentius orbis contingere posset, tanta ingratitude excipiunt, ut pars rideant pars contemnant, pars persequantur, pars heresibus sordident, pars impuritate uite suae & publicis faenoribus male audire inter impios fauant, & omnino, quocunq; te uertas, reperies omnia uel impietate, uel sceleribus esse sedata. Itaq; deliberrat secum Deus quid supplicij tam ingratissimis hominibus illaturus sit, & ut eius rei aliquod specimen exhiberet, Vngaros crudelitati Turcarum obiecit, ut illorum exemplo discamus, quanta nobis supplicia immineant. Si in humido ligno hec fiunt, quid fiet in arido? Si Vngari, quibus non dum erat reuelatum Euangelium, aut uix degustatum tantis calamitatibus affecti sunt, quantas nos, rogo, meriti sumus? quorum ingratitude erga donum Euangelij ad celum usq; pertingit? Respiciamus igitur fratres & dignos penitentiae fructus faciamus, ut fide in Iesum Christum iustificati, uenturam iram effugamus, in eodem Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus laudandus in secula,

A M E N.

F üij

Recte,

HOMILIA SEPTIMA.

**R**ECTE, DILECTISSIMI PAVLVS  
 dicit, quod inuisibilia dei per sensibilia eius  
 opera peruideantur. Quis enim cognoscere possit,  
 quanta sit bonitas & clementia dei, nisi dominus eam  
 manifestis factis, declarasset? Et cum alias sepe nume-  
 ro, tamen in eo opere quod heri audiimus, uidelicet  
 DOMINVM toti urbi & regioni propter decem ius-  
 tos parcere, clarissime bonitas dei nobis ob oculos po-  
 sita est. Agamus itaq; multas deo gratias quod animu  
 suum nobis reuelauerit, unde cognoscere liceat, ipsu  
 tanto amore, tanto fauore, tanta deniq; beneuolentia  
 bonos & rectos corde complecti, ut in publicis calamita-  
 tibus non solum ipsos, uerumetiam innumerabiles  
 alios propter ipsos paucos defendat. Vnde & in tem-  
 pestate maris, uni Paulo omnes secum nauigantes in  
 nauis, quorum erant ducenti septuaginta sex a domi-  
 no donati sunt, quemadmodum legitur in actis Aposto-  
 licis capite uicesimo septimo. Et hec quidem sic se ha-  
 bent. Nunc autem sicut in historia de Noe, ita in hac  
 quoq; de Sodomis, reuelat dominus seueritatem qui-  
 dem suam in malos, clementem autem misericordiam  
 erga credentes, in eo quod totam Sodomiticam regio-  
 nem igne perdidit, & iustum Loth cum familia ser-  
 uauit. *Quae hoc ordine gesta sunt,*

Venerunt

IOANNIS BRENTII.

Venerunt duo angeli Sodomam uespere se-  
 dente Loth in foribus ciuitatis qui cum uidisset  
 eos surrexit & iuit obuiam eis & adorauit pros-  
 tratus in terram & dixit. Obsecro domini, declina-  
 te in domum pueri uestri, & manere ibi, lauare  
 pedes uestros, mane proficiscemini uiam uestram.

Vide ingentem iusti Loth caritatem & sollicitu-  
 dinem in hospites peregrinos. Non enim suspiciatur ip-  
 sos angelos esse, sed tantum aduenticios quosdam ho-  
 mines, sicut alias sepe alij illac transierant, nihilomi-  
 nus tamen quam primum uidisset eos, & agnouisset  
 peregrinos, ac loci ignaros esse, obuiam eis it, de in-  
 genua flectens (hoc enim est adorare) honorat eos  
 quin et honoris gratia dominos appellat, et se ipsum  
 seruum ipsorum. Adhuc ad domum suam eos inuitat  
 omnem eis humanitatem promittens. Cum autem pe-  
 regrini nollem Lotho molesti esse, & hospitium de-  
 tractarent (hoc enim est caritatis ingenium ut potius  
 durissima quaeq; perferat, quam proximo suo oneri  
 sit) ac dicerent, minime, sed in platea manebimus, coe-  
 git eos Loth, ut in domum suam intrarent ubi appa-  
 ratu conuiuij honorifice eos tractauit. Postremo ne  
 nihil hospitalitatis omitteret, maluit filiarum suarum  
 pudicitiam periculo obijcere, quam permittere ut  
 inauditum & incredibile nefas in hospites suos desi-  
 gnaretur.

F v Etenim

HOMILIA SEPTIMA.

Etenim, cum noctu, urbis ciues bene essent poti,  
uallauerunt, ut scriptura dicit, domum illius, a puera  
usq; ad senem omnis populus simul, & postulauerunt  
(O scelus horrendum) duos adolescentes ut eis abute-  
rentur. Itaq; Loth, nequa uis hospitibus inferretur  
egreditur ad eos, & occluso post se ostio, ne impetu  
irrumpan, uitam suam in periculum exponit, &  
cum sentiret eos magis atq; magis insanire, recepit  
potius se filias suas libidini eorum expositurum,  
quam peregrinos hospites, quos ob hanc causam in  
domum suam introduxisset, ut ab iniuria tuti essent.  
Admirandum et rarissimum hospitalitatis exemplum  
cuius diligenter Apostolus ad Hebreos meminit. Ho-  
spitalitatis, inquit, ne sitis inmemores, per hanc qui-  
dam inscientes exceperunt angelos hospitio.

Iam non est, quod quispiam existimet Lothum hac  
dumtaxat uice hospitem fuisse, sed quantum ex  
uoluntario eius ocurso, quo hospitibus obuiam iuit,  
& ex corruptissimis ciuium Sodomitarum moribus,  
quibus peregrinos & pauperes fastidiebant, conijce-  
re licet, solus in ea urbe quosuis obuios, nunc iustos,  
nunc iniustos, nunc pios, nunc impios, nunc benemo-  
ritos, nunc male meritos hospitio suo excepit, quod  
humanitate tandem factum est ut angelos dei suscipere  
ret & per ipsos ab incendio seruarietur, Nam adue-  
nas & pauperes in Sodomis fuisse neglectos testatur

Ezechiel

IOANNIS BRENTII.

Ezechiel inquit, manum egeno & pauperi non  
porrigebant Vides grauissimum Sodomitarum sce-  
lus, uidelicet contemptum pauperum & neglectum  
aduenarum, quod est gradus præcipuus, ad inaudi-  
tum & incredibile illud flagitium, quod erga pere-  
grinos adolescentes designare conabantur.

Conferamus nunc scelus istud cum nostris moribus,  
Quo, obsecro, loco pauperes a nobis Christianis ha-  
bentur, & certe pius tractantur quam olim apud  
Sodomitas. Nam in Sodomis mittebantur uel sal-  
tem in plateis sedere, atq; noctu manere, a pud nos  
uero ne ad plateas quidem ciuitatis admittuntur.  
Considera mihi tantum publicarum nundinarum fa-  
ciem, & exhorresces, Etenim, ad publicas nundinas,  
impostores, nuguenti, Syncophanta, spermologi, pu-  
blici lusores, iudei, & omnis pessimorum hominum  
lerna admittitur, soli pauperes excluduntur, & pro-  
foribus ciuitatum iacere coguntur, Nonne contempti  
pauperum Sodomitas etiam superamus.

Nulla est excusatio quod hoc prætextu paupe-  
res excludamus, ne occultum ignem in domos clare  
inijciant, & tota urbs incendio pereat. Nonne idem  
ac multo magis de spermologo quodã, aut histrione,  
aut nuguento timendum est? cur ergo hi admittun-  
tur, & illi excluduntur? Nec est excusatio, q. plu-  
res inter mendicos et pauperes sint homines scelerati

Nam uer-

HOMILIA SEPTIMA.

NAM uerisimile est inter tot hospites, quos patriarcha Loth ante angelorum aduentum hospicio suo excepit, multos fuisse iusti uiri hospitio indignissimos, attamen hac beneficentia factum est, ut tandem angelos in sui & familiae liberationem susciperet. Et quando nos unquam aliquid beneficiorum a Domino acciperemus, si dominus non necessitatem & indigentiam nostram, sed dignitatem & merita nostra respiceret? Et quid illud est, quod Christus dicit. Perfecti estote, quemadmodum pater uester qui est in caelis perfectus est, qui solem suum exoriri sinit super malos ac bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos?

Huc accedit quod pauperum quoque contemptus, ex multarum urbium consuetudine, et legibus municipalibus animaduertitur, Sunt enim urbes, in quibus nemo in catalogum ciuium recipitur, nisi certis opibus ac diuitijs praeditus, Cui consuetudini haec causa praetextitur, ne res pub. multitudine pauperum obruta detrimentum accipiat, ac plane intreat. At si rem paulo altius consideres, & ueterum historias tam sacras, quam prophanas euolueris, nimirum intelliges maximas urbes, multitudine pauperum, principio auctas Postea multitudine diuitum perijisse, Quod obsecro initium habuit Roma? nonne ex aduenis, peregrinis, profugis, hoc est, pauperibus & mendicis? Quae res deinde rem p. Romanam perdidit? Certe nulla alia  
quam

IOANNIS BRENTII.

quam quod inter ciues alij diuitias comparare, alij comparatas augere, alij auctas retinere studebant. Eadem fortuna Carthaginem, Athenas, Spartam, aliasque nobiles graeciae urbes, quas pauperes condiderant, diuites perdebant.

Sed quid de prophanis urbibus loquor? considera mihi urbem sanctam Ierusalem, quae a pauperibus Israelitis initio occupata, postea propter diuitum luxuriam, ambitionem, & auaritiam deuastata est. Et ne alias addam, uide mihi hanc, de qua nunc est sermo Sodomitarum urbem, quae ob hanc maxime causam incendio perijt, quod dumtaxat diuites recipiebat, pauperes autem & aduenas fastidiebat, Fortassis & illi cansabantur se non excludere pauperes contemptu, sed ne resp. ipsorum pauperum copia detrimentum accipiat. At quod timebant impij, eueniebat eis, & respub. Sodomitarum, quae incolumis propter copiam pauperum stitisset, propter multitudinem diuitum incendio extincta est.

Hic audio. Etsi Sodomitis, contemptu pauperum, fortassis non dissimiles sumus, tamen longe ab eo peccato absumus, quod Sodomite in adolentes aduenas designare conati sunt, nihil igitur ad nos Sodomitarum exemplum. Equidem optarim, ut nec similes essemus Sodomitis in contemptu pauperum, meminimus tamen, nec Sodomitas, conatum affectus sui in  
Adolescen-

## HOMILIA SEPTIMA

Adolescentibus opere perpetrasse. Iam quis scit quā  
lis & quam spurcus sit multorum inter nos affectus?  
Quis sat, quanta inaudita & incredibilia flagitia  
clam designentur? Nihil hic dicam, de monasteriorū  
pudiciā, ne ipse parum uerbis pudicus uidear, Hoc  
autem a dā, quod nec scriptura aues, in imperio  
Iuda olim habitantes horreni huius sceleris acuset,  
attamen spiritus sanctus in Ezechiele horum flagitia  
Sodomitarum sceleribus & quat, imo grauiora pronun  
tiat, inquit. Viuo ego dicit, dominus, quia non fecit  
Sodoma soror, ipsa & filia eius, sicut fecisti tu & fi  
lia tua. Et per Hieremiam in carmine lugubri ait, ma  
ior effecta est iniquitas filiaē populi mei peccato Sodo  
morum.

Itaq; ne blandiamur nobis, quod non possimus pu  
blice tanti sceleris quod a Sodomitis perpetratum est  
accusari, Collatis enim flagitijs, multa alia reperiunt  
tur inter nos, quae multis nominibus grauiora sunt.  
Quid enim dicam de maximo omnium & flagitiosissi  
mo scelere contemptu uerbi, Dei? quod & si inter So  
domitas etiam fuit, apud nos tamen longe superat, Nā  
dum Sodomitae a Loth amonerentur, ne tantum mali  
aduensis uiris inferrent, quod ingressi essent sub um  
bra culminis sui, dixerunt illi.

Recede

## IOHANNIS BRENTII.

Recede illuc, ingressus es ut aduena, nun  
quid ut iudices: te ipsum ergo magis, quam hos  
affligemus.

Igitur Sodomitae contemnendo iustum admonitorē,  
diuinam admonitionem contempserunt. fastidiendo  
uerbi dei predicatorē, fastidierunt ipsum dei uerbū  
Et illi quidem uiuum Loth & unam tantum eius ad  
monitionem contempserunt, apud nos autem fastidium  
tur Prophetae, contemniuntur Apostoli, ridetur ipse  
met Christus, & quotquot Christum predicant ac  
Apostolorum & Prophetarum monitis populum ex  
hortantur, summis probris et contumelijs afficiuntur,  
in exilium eijciuntur, interim & ignominiosa morte  
trucidantur Et quid nunc frequentius in ore multorū  
habetur, quam quod dicant, quid ad nos noui illi con  
tionatores? sunt aduene, sunt ignoti, sunt obscuro,  
sunt profugij, sunt pauperes & mendici, cur ergo nos  
iudicarent? cur ipsis potius fidem adhiberemus quā  
pontificibus, Episcopis, et principibus, qui magna ho  
noris amplitudine illustres sunt?

Quid ergo? Christus de Capernaum dicit. Tu Ca  
pernaum, quae es usq; ad caelum exaltata, usq; ad in  
feros detraheris, quoniam si in Sodomis edita fuissent  
uirtutes, quae editae sunt in te, mansissent usq; in ho  
diernum diem. Veruntamen, dico uobis quod Sodomis  
tolera

HOMILIA SEPTIMA

olerabilius erit in die iudicij quam tibi. Itaq; si Capernaum grauius peccauit quam Sodomita quod ad praedicationem Christi non respuit, sed uerbum eius contempfit, quanto grauius Germani, non dico, quam Sodomita, sed quam Capernaita peccant, quod post resurrectionem Christi, & missionem spiritus sancti atq; Euangelium, maximis & clarissimis miraculis quasi signaculis quibusdam confirmatum, adeoq; nobis in his postremis temporibus manifestissime reuelatum, non respiscunt, nec Euangelium Christi fide accipiunt, sed in modum Pharaonis, quo apertius audiunt, eo plus obsurdescunt, & obstinatius indurantur.

Ne igitur amicissimi in Christo una uel cū Sodomitis pereamus, uel cum Capernaitis ad inferos detrahamur, agite, obsequamur uocationi diuinae, & pareamus praedicationi Euangelij, ut ex fide iustificati, redemptionem consequamur per Christum dominum nostrum, qui est laudandus Deus in saecula, A M E N.

superiori

IOANNIS BRENTII.

HOMILIA OCTAUA.

**S**UPERIORIDIE COMMENDAVIT nobis scriptura, pietatem & hospitalitatem Patriarchae Loth. Audiamus hodie bonitatem & clementiam Dei, qua pios, ex afflictionibus liberat. Nam in Loth exhibuit Deus, bonitatis suae exemplum, ut quotquot fiducia diuinae misericordiae uocationem Dei sequuntur, certo confidant se omnes calamitates, quae ipsis diuinam uocationem sequentibus eccidunt incolumes euasuros. Vnde Petrus ait. Iustum Loth, qui opprimebatur a nefarijs per libidinosam conuersationem, eripuit. Is enim oculis & auribus iustus, cum habitaret inter illos, quotidie animam iustam iniquis illorum factis excruciat. Nouit dominus pios e tentatione eripere. Iniustos autem in diem Iudicij puniendos seruare. Audiamus igitur quomodo Loth clementia Dei e sua tentatione seruatus sit.

Iam prope erat, ut effringerent fores, & ecce miserunt manum viri, & introduxerunt Loth, clauseruntq; ostium, & eos qui foris erant, percusserunt cecitate a minimo usq; ad maximum, ita ut ostium inuenire non possent.

G Vide

HOMILIA OCTAVA.

Vide mihi admirandam rerum dispensationem. Etenim dominus conuiet ad primas Lothi afflictiones. In postremis autem, cum iam Loth ultima necessitate comprehenderetur, adiuuat eum per Angelos suos, & eripit ipsum de manibus impiorum, ut dicitur declarans, & testificans id, quod in Psalmo dicitur, Adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. Sic enim solet dominus ad initia afflictionum conuiere, ut in extrema necessitate admirabilius & gloriosius auxilium conferat. Nonne Iosephum ita dereliquit ut, & a fratribus suis uenderetur, & postea in carcerem conijceretur? sed hæc derelictio nihil aliud fuit, quam gloriose & admiranda liberationis initium. Nonne Dauidem ita suo auxilio destituisse uisus est, ut circumdatum ab exercitu Saulis in deserto Maon, & de salute sua desperatum, nemo euasurum ne somniasset quidem? Actamen quo desperatius perditus erat, eo admirabilius seruatur.

Quid dicam de filio Dauidis, domino nostro Iesu Christo, qui a Deo patre suo in manibus impiorum ita derelictus est, ut crucifixum interimerent & acutum esse de toto Christi regno existimarent? sed quod deploratio erat mors Christi, eo gloriosior fuit eius resurrectio.

Itaque si nobis immincant afflictiones, & non statim seruemur, minime omnium desperandum est, sed

IOANNIS BRENTII.

potius agnoscendum est Dei ingenium, quod in afflictionum iniurijs, auxilia sua differat, donec ad summam necessitatem perueniamus, tunc enim fidelis est, & non sinet nos tentari supra id quod possumus, sed faciet una cum tentatione euentum, quo possumus sufferre.

Ceterum quod Angeli percuant Sodomitas cecitate ne fores Loth inuenire queant, ingens argumentum est, dominum Deum nostrum, piorum aduersarios ita continere, & ita impetum eorum cohibere, ut uelint, nolint, nihil mali, præter diuinam uoluntatem, ipsis inferre queant cuius rei simile exemplum, in posteriori Regum libro capite sexto de Eliza & Syris legitur, cum enim Syria rex misisset exercitum suum ad comprehendendum Elizam, orauit Eliza dicens. Percute obsecro hanc gentem cæcitate, Et percussit eos dominus ne uiderent iuxta uerbum Elize. Non igitur est quod timeas pietatis aduersarios, quin potius in confessione pietatis, & in uocatione Dei perseuera, sic enim fiet, ut aduersarij ad comprehendendum te missi, cæcitate percutiantur, aut si quid mali tibi inferre uideantur, hoc tamen, in gloriam & felicitatem tuam, cessurum est. Sequitur.

Dixerunt autem ad Loth, habes hic quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias, omnes que

HOMILIA OCTAVA

nes qui tui sunt, educ de vrbe hac, delebitur enim locū istum eo quod increuerit, clamor eorum coram domino, qui misit nos ut perdamus illos

Aperiunt tandem Angeli, & seipsos, & causam quare aduenerim, uidelicet ut Sodomam propter peccata ciuium perdant, & admonent Lothum ut si quos cognatos & affines habeat, secum educat, quo ex imminente periculo liberentur. Porro scriptura sacra alias sepe numero testatur, totam familiam & cognationem, nunc propter unum piū patrem familias seruari, nunc propter unum impium patrem familias deleri. Postritas Abraham, Isaac, & Iacob, non propter suam ipsius iustitiam, sed propter promissionem Dei, Patriarchis factam, & fide ab ipsis inceptam, seruata est. Rahab quoque meretricis fides omnes suos domesticos & familiares in deuastatione Iericho incolumes seruauit. Huc pertinet Dauid, propter quem Israelis regnum in familia posteritatis suae perdurauit. Sic & hoc loco testantibus Angelis propter unum Lothum omnes cognati & affines ex futuro incendio eripi possunt.

Contra, Saul propter impietatem suam totam familiam perdidit, Idololatria Hierobeami totam eius posteritatem in exitium coniecit. Achab sceleribus suis auctor fuit, ut omnes de familia & cognatione sua interfi-

IOANNIS BRENTII.

terficerentur. Itaque patres familias his exemplis admoneantur, ut pietatem sectentur, & impietatem fugant, ne unius scelere, tota familia sordidetur, & diuino supplicio obijciatur. Sed persequamur ea quae de Loth sequuntur.

Egressus itaque Loth, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius & dixit. Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit dominus ciuitatem hanc.

Aduerte quanta sit Lothi fides, quanta item caritas. Fidei est, quod mox Angelorum uerba tanquam diuina, sicut uere erant, oracula accipit & credit, nisi enim credidisset, non exposuisset se generis suis ludibrio. Et habebat multa quae ipsum a fide abducere potuissent. Primum, quod urbs Sodoma felicissima rerum prosperitate tunc fruebatur. Deinde quod qui deuastationem predicabant ignoti & peregrini hospites uidebantur. Postremo, quod nulli alteri uerbum istud, credible ac uerisimile apparebat. Caritatis erat, quod uitae suae discrimine, generos admonet & rogat ut una secum urbem relinquunt, ingenium enim caritatis est, quod multo suo periculo non se solum, uerumetiam multos alios seruare studeat. Quanto autem maior erat Lothi fides, tanta maior erat generorum suorum infidelitas.

HOMILIA OCTAVA

Visus est enim eis quasi ludens loquitur.

Sic rident Iudei uerbum Hieremie uenturam Te-  
rosolimitane urbis desolationem annunciantis et di-  
cunt. Quod est onus domini. Sic Petrus ait, uenturos  
in extremis diebus illusores qui iuxta proprias concu-  
piscencias ambulent & dicant, ubi est pollicatio ada-  
uentus, Siquidem ex quo die patres dormierunt, om-  
nia sic permanent ab initio conditionis. Sic inter nos  
sunt multi securi, qui quicquid de aduentu Turca, de  
calamitatibus quas Turca nunc his, nunc illis regionibus  
infert audiunt, rident ac pro ludibrio ducunt. Utinam  
inquiunt satis haberem diuitiarum, donec Turca ad-  
ueniret. Sperarem me perpetuo opulentum fore.

At qui pij sunt, agnoscant Euangelium Iesu Chri-  
sti non esse frustra in Germania reuelatum, nec fru-  
stra illud summa ingratitude, ut sit, contemni, nec  
nostram regionem diuicijs tam immania et atrocitas sceleris,  
quae praefraete aduersus uerbum Dei & innocentes  
homines committuntur, tolerare posse, proinde muni-  
ant se fide, & parent serepiscencia, ut imminentes  
calamitates, uel per Turcam uel per alios uenturas  
effugiant. Sed Redeamus ad historiam Lothi.

Cum esset mane, cogebant eum angeli dis-  
centes, surge, tolle uxorem tuam, & duas filias  
quas habes, ne & tu pariter pereas, in scelere ciui-  
tatis

IOANNIS BRENTII.

tatis. Dissimulante illo apprehenderunt manum  
eius, & manum uxoris ac duarum filiarum eius,  
eo quod parceret dominus illi, Eduxeruntq; illum  
et posuerunt extra ciuitatem, ibique locuti sunt  
ad eum dicentes. Salua animam tuam, noli res-  
picere post tergum, nec stes in omni circa regi-  
one, sed in monte saluum te facias ne & tu simul  
pereas.

Queso te, diligenter hic animaduertas, quanta po-  
tencia, caro resistat spiritui, Etsi enim Loth optima fi-  
de uerbum hospitem suorum de urbis deuastatione ex-  
ceperat, tamen reliqua carnis eius, ita ipsum ab egre-  
ssu urbis impediunt, ut Angeli necesse habeant eum co-  
gere, atq; arreptis manibus ad exitum trahere. Carni  
enim durissimum est relinquere domum, difficilli-  
mum est relinquere ingentes opes, & proficisci in  
exilium. Hanc tamen omnem difficultatem superat  
fides, quae ex uerbo domini concipitur. Vnde Paulus  
monet, ut luctaturi aduersus assaultus Sathanae & re-  
ctores tenebrarum seculi huius, assumamus uniuersam  
armaturam Dei, maxime autem scutum fidei  
quo possimus omnia iacula mali illius ignita extin-  
guere, & gladium spiritus qui est uerbum Dei.

Porro, cum Angeli Lotham & familiam eius, e ci-  
uitate eduxissent, erudierunt eum quomodo uenturam  
incendium effugere debeat. Seruabis (inquiunt) ani-

### HOMILIA OCTAVA

*nam seu uitam tuam, si non respicias post tergum, nec perstes in finitima huius urbis regione, sed ad montana ascenderis. Atq; hæc quidem præcepta in Lotho iuxta literam (ut uocant) accipienda sunt, neq; enim licebat ei, oculis suis corporalibus post tergum respicere, nec pedibus corporalibus in finitima regione stare, sed ad corporalem & externum montem ab angelis demonstratum ascendere. Nobis autem his alligori ce indicatur quomodo, nostram etiam animam in periculis seruare possimus. Primū sic seruabimus eam si egrediamur Sodomam, hoc est, si deuicta carnis nostræ infidelitate, fidem uerbo Dei adhibeamus, & uocationi eius obsequentes peccata fugamus, nullus enim nobis locus externus prohibetur, sed prohibetur hominum in aliquo loco uitam degentium impietas. Deinde, ne respiciamus post tergum, quo monemur, ut non relabamur in pristina uitia. Postremo ne stemus in finitimis regionibus, hoc est ne ducamus iugum cum impijs, et ne habeamus uitiorum consortium cum peccatoribus, sed ad eum montem perfidem ascendamus, de quo Esaias & Micheas ita scribunt, Erit in nouissimis diebus mons domus domini præparatus in uertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ & dicent. Venite ascendamus ad montem domini, et ad domum*

### IOANNIS BRENTII

*ad domum Dei Iacob, & docebit nos de uijs suis, & ibimus in semitis eius, quia de Sion egredietur lex & uerbum domini de Ierusalem. Hoc autem est uerbum Euangelij de Iesu Christo quod in monte Sion, seu Ierusalem initio per Apostolos prædicari ceptum. Deinde in uniuersum orbem terrarum Apostolica prædicatione sparsum est, cui fidem adhibentes ueram salutem consequemur in eodem Christo Iesu Domino nostro, qui est Deus laudandus in secula, AMEN,*

### HOMILIA NONA.

**E**GRESSVS Loth e Sodomâ in mandatis ac cepit ut non respiciat post tergum, nec in finitima regione maneat, sed in monte uitam suam seruet. Que diximus in Loth non tam secundum allegoriam. quam literam accipiendâ esse. In nobis autem iuxta allegoriam tantum exponenda, uidelicet, ut relicta hominum impietate, sola fide uocantem Deum sequamur, & ad pristina scelera non relabamur. Sed de his antea, Nunc uideamus quomodo auitatula Zoar precibus & presentia Loth alijs urbibus incendio pereuntibus incolumis conseruetur. Erant autem in ea regione quinque metropoles, uidelicet Sodoma Gomorrha, Adama, Zoboim, & Zohar que ante Beladicta.

HOMILIA NONA.

dicta est, & unaqueq; suum habebat regem, quemadmodum scriptura testatur capite decimo quarto Genesios. Minima autem illarum metropoleon erat Zoar, unde et nomen habet. Siquidem hebraeis Zoar parvulum sonat. Itaq; Loth agnito dei beneficio iam per Angelos accepto, fide animatus, pro civitatula illa Zoar intercedit, dicens.

Queso domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, ut magnifices misericordiam tuam quam fecisti mecum, in eo quod serues vitam meam, non possum in monte seruari, ne forte apprehendat me malum & moriar Est ciuitas hic prope, ad quam possum fugere, paruula, & saluabor in ea, nunquid non paruula est, ut uiuat anima mea.

En quam probe sit eruditus Loth in ea diuinarum precum eloquentia, qua animus dei persuadetur, ut nos nostri uoti compotes reddat. Enimvero assensum diuinae uoluntatis tunc impetramus, cum ex fide in precibus nostris indicamus, petitionum nostrarum impetrationem in maximam diuini nominis gloriam, recusationem autem, in maximam nominis Dei contumeliam & ignominiam uergeret. Deinde si in precibus nostris, non tam nostra quam que proximi sunt uidelicet

IOANNIS BRENTII.

uidelicet ut & deum & proximum diligamus, hoc est, utriusq; gloriam honorem & utilitatem quaeramus,

Hanc igitur orandi formam Loth diligentissime obseruat, cuius preces hanc fere sententiam habent. Quod me O clementissime deus, ex imminenti Sodorum incendio liberaueris, ingentis tuae gratiae & misericordiae opus est, quod omnibus seculis de te praedicabitur, nimirum, te non perdere iustum cum impio, credentem cum infideli, obedientem, cum peruiaci, At tamen maior erit gratiae & misericordiae tuae gloria celebriusq; praedicabitur, si me in paruula illa ciuitate Bela seruaueris, non mea tantum salutis gratia, qui prope qui in monte iuxta tuam promissionem seruari possem, sed propter paruule illius ciuitatis ciues & incolas, ut & ipsi incolumes futurum supplicium euadant, Et si non licet ut magna ciuitas eripiatur, seruetur saltem paruula. Etenim si his meis precibus annueris, maxime omnium misericordiae tuae magnitudo in toto terrarum orbe omnibus seculis commendabitur. Primum ubiuis gentium praedicabitur, te Deum tam liberalem, tam clementem, & tam misericordem esse, ut nihil cuiquam roganti deneges, aut recuses, & nemo a te tristior, sed semper letior, uoti sui compos factus discedat. Hic iam cogita mi domine, quam multi ad innocen-

HOMILIA NONA

inuocandum nomen tuum, festinabunt, quam copiosus  
erit hominum precibus suis ad te peregrinantium  
multitudo. Erit, quantum diuinare licet, in postre-  
mis temporibus, quando multi ad fictam de alienis  
dijs famam per uaria rerum discrimina peregrina-  
buntur, & numen ipsorum inuocabunt, alius contra  
morbum caducum, alius contra febrim, alius contra ege-  
statem, alia aliunde causa. quanto maior futura est pe-  
regrinatio ad te dominum Deum nostrum, si non sta-  
cto, sed uere, non mendaciter sed certissimis argumen-  
tis annuntiatum fuerit, te tam clementem Deum esse,  
ut nihil de peccati deneges, Accedit etiam istud ad mi-  
sericordie diuinae commendationem, quia palam pre-  
dicabitur Deum, tantae esse bonitatis, ut propter pio-  
rum inter malos contubernium, & diuini nominis in-  
uocationem, etiam malis, & nihil beneficiorum me-  
ritis parcat, Quin & illud laudibus Dei adijcietur  
quod nunquam tam iratus sit, quin misericordie suae  
recordetur. Quo fiet ut homines, in medijs etiam nam  
afflictionibus & mortibus bonitate Dei fidere discant  
Postremo, in hoc etiam fama nominis diuini cele-  
brior reddetur, quod respiciat contempta & abiecta,  
Id quod Loth significat, dum ait. Numquid non, par-  
uula est? Quid ergo his precibus impetrat Loth ar-  
te oratio eius, telum ignitum erat, & penetrabat ani-  
mum Dei. Vnde dicit ad eum dominus.

Ecc

IOANNIS BRENTII.

Ece etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non  
subuertam urbem pro qua locutus es.

Ad quid autem nobis prodest, quod Loth impetra-  
uit salutem Zoar? Multum per omnem modum.  
Etenim nobis quoque, quemadmodum quondam urbi  
Zoar incendium imminet. Incendium nostrum uoco,  
uel Turcam, uel Pestem, uel sudorem, quem uocant,  
Anglicum, uel famem, quae nobis uno tempore, extre-  
mam interitionem minantur. Ita, ut illud Prophe-  
cum propemodum rei ipsa sentiamus. Foris gladius, in-  
trinsecus pestis & fames, itaque, si nos postquam & So-  
doma egressi essemus, & dominum ex fide, eadem  
pietatis regula, quam in Lotho audiimus precare-  
mur, uidelicet ut Deus non peccata nostra, non indi-  
gnitatem nostram sed gloriam nominis sui respiciat  
& pristinae suae clementiae non obliuiscatur, adeoque  
blasphemias hostis nostri consideret, ne si uictoria ad-  
uersus nos potiat, praefractius quam unquam an-  
tea dicat Iesum Christum dominum nostrum non esse  
uerum Deum & uerum saluatorem. Profecto, sta-  
tim nobiscum una etiam uicini nostri ab incendio  
Turcae uindicarentur, & hostis noster, ad extremos  
terrae fines propelleretur, quemadmodum Hiskia bla-  
spheum Saneherib fidei sua oratione & finibus impe-  
rij Iuda: turpissima fuga discere coegit.

Proim

HOMILIA NONA.

Proinde amicissimi egrediamur Sodomam & rogemus pro Zoar, fide in dominum respiscamus, & pro uicinis nostris quos audimus grauissimas calamitates ferre, deprecemur, ut una nobiscum seruentur. Porro cum Loth Zoaris salutem impetrasset, & uoti sui compos factus esse, audit a domino.

Festina & saluare ibi, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.

Quid hoc uerbi est, non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc? an propositum & conatus Dei hominis presentia, aut potentia impedire potest? Certe impeditur, ut hoc loco dominus uoce sua testatur & prodit, non autem impeditur cuiusuis uel industria uel sapientia uel potentia, sed hominis pij, hominis obsequentis, hominis obedientis fide, & spontanea dei uoluntate, qui se a conatibus suis discessurum promissionibus suis recipit. Sic Iacob dominum quo cum ipse usque mane luctatus fuerat, discessurum retinet, unde & Israel cognominatur, sic dominus ipse confitetur coram Mose, quod ab ipso prohibeatur ne Israelem perdat, Dicit enim. Dimitte me ut irascatur furor meus. Sic precepto Iosue, quo mandauit soli, ne moueatur contra Gibeon, obediuit dominus, & solem tantisper continuit, dum Iosue ulcisceretur se de inimicos suis, unde scriptura dicit, non fuit antea & postea tam longa dies, obedi-

IOHANNIS BRENTII.

obediendo domino uoci hominis, & pugnante pro Israel. Sic dominus obsecutus est, mandato Heliae, dicentis, Viuit dominus Deus Israel in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia nisi iuxta oris mei uerba. Quod Heliae rori & pluuia precepit, haec dominus quasi Heliae mancipium executus est.

Quaeso te quare mortalis homo, tam potens efficitur ut immortalem & omnipotentem Deum uincat? certe nulla alia re, quam fide in promissionem diuinam. Itaque dilectissimi collocemus fiduciam nostram in Iesum Christum in quo omnes Dei promissiones sunt etiam & amen, & obsequamur uocationi diuinae, ut egressi e Sedoma post tergum, non respiciamus & pro afflictis diligentissime dominum in nomine Iesu Christi precemur, sic enim conatum domini frangemus, ut etiam si proposuisset se aliquid mali nobis & uicinis nostris illaturum, tamen precibus nostris motus, & solum suam clementiam respiciens, indignationem suam uinci sinat, per Christum Iesum dominum nostrum, qui est Deus laudandus in secula, Amen.

Audiuimus

IOANNIS BRENTII.  
HMILIA DECIMA.

**A**VDIVIMVS dominum Deum nostrum,  
annuisse præcibus Loth, & se recepisse quod  
ciuitatulae Zoar parcere uelit, modo Loth aro illam  
ingrediat. Audiamus nunc Lothum a Sodoma omne  
nem salutem secum abstulisse & urbi Zoar intulisse.

Sol egressus est super terram & Loth ingres-  
sus est Zoar.

Quo modo autem existimas Lothum a ciuibus in  
Zoar exceptum fuisse? certe, nisi dominus ipsis pro-  
pter Loth pepercisset, & ipsi hospitaliores quam So-  
domita fuissent, exulem etiam sudibus cum hac ex-  
probatione eiecissent. Quid? recipemus ne a te So-  
domis urbe clarissima profligatum? & a recenti se-  
ditione uenientem? te enim autore seditio in ea ciui-  
tate exorta est, & tanquam seditiosus in exilium eie-  
ctus es, Quod si te in nostram urbem recipemus  
nonne exponeremus nos in presentancum uicinorum  
nostrorum odium, qui cum nobis sint potentiores, uia-  
ria nobis pericula inferre possent, quod hosti ipsorum  
hospitia præberemus. Apage a nobis, propter unum  
exulem & seditiosum non conciliabimus nobis peria-  
culum

IOANNIS BRENTII.

mosam apud uicinos nostros inuidiam. Talia enim  
dicere solent, qui peregrinos atq; exules, ab urbibus  
suis excludunt. Et q; horrendū dictu est, qui talia exuli-  
bus etiam innocentissimis obijciunt, non ethnici sunt,  
sed Christiano nomine etiamnum gloriantur, Etenim  
qui pauper, qui exul est, (O mores o secula) ubiq; eij-  
atur, ubiq; portis excluditur, atq; adeo inter medios  
Christianos plusquam gentilitas est. Nam inter gen-  
tes, insule quædam exulibus deputate erant, ad quas  
se se recipere. inter Christianos uero nusquam ul-  
lus, nec pauperi, nec exuli locus relictus est, & cum in-  
ter illos crux deberet esse honoratissima, tamen lon-  
ge omnium contemptissima habetur.

Præter alias enim etiam hac de causa Christus Ie-  
sus dominus noster in hunc mundum pauper, exul, &  
crucifixus uenit, ut paupertatem exilium & crucem  
sanctificaret atq; uenerabilia efficeret. Et nos quidem  
crucem illam lineam amplectimur, exosulamur, in  
publicis templis collocamus, pro portis affigimus, in  
omnibus compitis statuimus, quidam etiam impie eam  
adorant. Veram autem crucem, hoc est, paupertatem  
& exilia contemnimus, & quotquot hac cruce comi-  
tati ueniunt excludimus. Hactenus maxima pompa  
& uulgi multitudine obuiam processimus, & summa  
cum ueneratione accepimus eos, qui ad nos reliquias  
H aliquas

HOMILIA DECIMA.

aliquas sanctorum afferebant, tantum autem abest ut obuiam proædamus pauperi & exuli, qui uenit ad nos, sancta cruce paupertate uidelicet, & exilio comitatus, ut etiam ab ingressu eum prohibeamus. Timeamus enim ne ob multitudinem exulum & pauperum etiam nos paupertati & exilio obijciamur. Qui timor, queso te, quid aliud est, quam desperatissima incredulitas? Sic enim scriptura de peregrinis ait, DOMINVS amat peregrinum, & dat ei uictum atq; uestitum, Et iterum, memento quod serueris in Aegypto & crucrit te dominus Deus tuus inde, idcirco præcipio tibi, ut hanc rem facias, quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuertaris ut tollas eum, sed aduenam & pupillum et uiduam auferre pacieris ut benedicat tibi dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.

Audis ne ex his uerbis quod qui exulem recipit dominum Deum suum in exule recipit. Audis ne exulem quamuis pauperrimum, secum tamen uictum et auictum suum afferre, Siquidem, que tu ipsi ex caritate prestiteris, ea centuplum dominus tibi, iuxta promissionem suam, redditurus est. Ut benedicat (inquit) tibi dominus Deus tuus, in omni opere manuum tuarum, Nonne hac promissione DOMINVS seipsum de biorem facit eius qui peregrino & exuli beneficia confert

IOANNIS BRENTII.

confert. Vnde ciues Zoar peregrinum & exulem Lothum recipientes, eo ipso suum ipsorum seruatore excipiunt. Etenim exul Loth hoc tempore Zoarithis plus commodi, utilitatis, & salutis affert, quam munitissimi eorum muri, fortissimi milites, locupletissimus fiscus, sapientissimi senatores, atq; adeo omnes ad unum congregati potentes & diuites. Quo exemplo docet nos dominus, tantum abesse ut exules urbibus illis, ad quas diuertunt, detrimentum aliquod afferant, ut multo magis maximorum bonorum autores sint, itaq; exules non aliter tractandi sunt, quam preciosissima margarita & thesaurus longe omnium maximus. Caterum quam primum Loth ingressus est Zoar reuelatur grauissima ira Dei super Sodomam & Gomorrhani. Sic enim scribitur.

Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhani sulphur & ignem, a domino de caelo, & subuertit ciuitates illas, & omnem circa regionem uniuersos habitatores urbium & cuncta terræ uirentia

Vides nunc iram Dei aduersus peccatores seriam esse, hoc enim incendio omnia pereunt, uiri, mulieres, adolescentes, uirgines, pueri, infantes, pecora, bestia, arbores, uirgulta, gramina, flores,

HOMILIA DECIMA.

breuiter, nulli, nec etati, nec sexui, nec animali, nec negetatili parcutur.

Iam non est, quod existimes has ciuitates propter seipsas tantum incendio periisse, sed etiam ob hanc potissimam causam, ut hoc publico exemplo totus orbis, diuine indignationis seueritatem cognosceret. Erat enim ea regio priusquam igne subuerteretur quemadmodum Genesios decimo tertio scriptum est, sicut paradysus domini & sicut egyptus, post subuersionem autem inter memorabilia mundi recensetur, Extat de ea apud prophanum scriptorem tale testimonium, Longo a Ierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de caelo tactum testatur humus nigra in anerem resoluta, Duo ibi oppida, alterum Sodomum, alterum Gomorrhum, apud qua pomum & gignitur, habeat licet speciem maturitatis, manduicari non potest, nam fuliginem intrinsecus fauillatiam ambitio tantum extima cutis cohibet, qua uel leui pressa tactu fumum exhalat, & fatiscit in uagum puluerem. Ita uides prophani etiam scriptoris testimonio, regionem Sodomiticam ita de caelo tactam esse ut inter miracula mundi commemoretur.

Scriptura autem sacra proponit nobis incendium Sodomiticum, non ob hanc tantum causam, ut admiremur, sed potius ut aliena insania fruentes, resipiscamus, unde Deuteronomij capite uicesimo nono, sic ait Mo

si porro hic  
locus e  
lino descri  
ptus est:

IOANNIS BRENTII.

ait Mose, Dicet sequens generatio, & filij qui nascentur deinceps & peregrini qui de longe uenerint uidentes plagas terre illius, & infirmitates quibus eam afflixerit dominus, sulphure, & ardore solis comburens, ita ut ultra non feratur, nec uirens qui ppians germinet in exemplum subuersionis Sodomae & Gomorrhae Adamae & Seboim quas subuertit dominus in ira et furore suo.

Huc accedit quod in libro sapientiae (si modo is liber autoritate canonica & fide dignus habetur) sic legitur, Sapientia iustum a pereuntibus impijs liberat, fugentem descendentem igne in pentapolim quibus in testimonium nequiciae fumigabunda stat terra deserta & arbores immaturos suis temporibus fructus habentes, Sapientiam enim (quae est uerbu dei) negligentes, non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed & insipientiae suae reliquerunt hominibus memoriam.

Postremo Petrus in posteriori sua Epistola manifeste indicat, Sodomiticum incendium, omnium impiorum exemplum & admonitionem esse, ita dicens, deus ciuitates Sodomorum ac Gomorrhae in anerem redactas, subuersione condemnauit, eosque fecit exemplum his qui impie forent acturi. Non enim soli Sodomitae atque Gomorrhitae peccauerunt sed spiritus sanctus nos omnes peccatis obnoxios pronunciat. Non iustificabitur

HOMILIA DECIMA.

tur (inquiens) in conspectu tuo omnis uiuens, & mo-  
net, nisi respiscamus nos omnes similiter perituros.

Cæterum cum Loth e Sodoma, comite vx-  
orefugeret, respiciens uxor eius post se, uersa est  
in statuam salis.

Vide obsecro, quam leue factum, quam graui sup-  
plicio puniatur, hoc autem est, quod sepe caritatem  
uestram admonuimus, uidelicet, de operibus non esse  
iuxta speciem seu laruam externam, sed iuxta uer-  
bum & mandatum domini iudicandum, unde quod  
uidetur optime factum, si mandato domini prohibi-  
tum fuerit, iniquissime factum est. & quod uidetur  
iniquissime factum, si uerbo domini mandatum fue-  
rit, rectissime factum est. Enimvero post tergum res-  
picere, per se nullius momenti opus apparet, At si  
exegeris ad illud mandatum, quod dominus antea  
Lotho & familie eius dederat, dicens. Noli respi-  
cere post tergum, comperies grauisimum esse ad-  
uersus Deum peccatum. Et ut omnino peccatores  
discerent, se non impune, nisi respiscant, peccata sua  
laturos, uxor Lothi statim ut post tergum contra  
mandatum Dei respicit, immobilis redditur, & in statu-  
tam salis mutatur, quam nonnulli testantur post se-  
cundam deustacionem Ierusalem a Romanis factam,  
ad huc

IOANNIS BRENTII.

adhuc integram stetitisse.

Commendat autem hoc factum nobis Christus, pau-  
cissimis quidem uerbis, sed tamen acutissimis. Cum  
enim hominum mores qui erunt sub aduentum eius,  
cum moribus Sodomitarum conferret, & indicaret  
aduentum suum præter expectationem fore, dixit,  
Memores estote uxoris Loth. Quare? Ne respicientes  
post tergum supplicio afficiamur, quemadmodum uxor  
Loth. Quid ergo est, respicere post tergum? Nihil  
aliud est, quam ad pristina uita reuerti, & uocationem  
dei semel susceptam negligere. Etenim qui diuinam  
uocationem relinquunt, & uel ad Sodomam, uel ad  
Aegyptum respiciunt, hi plerumque solent fieri statua  
salis (hoc est) indurantur, dure ceruicis, pertinaces,  
peruicaces, & obstinati redduntur. donec tandem  
perpetua internitione pereant.

Nam si dominus tanta seueritate uxorem  
Loth puniuit propterea quod post tergum ad So-  
domam respexisset, quod tamen uidetur nul-  
lius momenti opus, quanta putas grauitate cum  
puniat, qui semel manum aratro Christiano admo-  
uerit, & retrospecterit, nunc ad auaritiam, nunc  
ad inuidiam, nunc ad fornicationem sectandam.  
Satius esset illis, inquit Petrus, non cognouisse  
nam iustitiam, quam ubi cognouerunt conuerti ab eo  
H iij quod

HOMILIA DECIMA.

quod illis traditum fuit sancto præcepto. uerum accidit illis, id quod uero prouerbio dici solet, Canis reuersus ad sui ipsius uomitum, & Sus lota, reuersa ad uolutabrum ceni.

Multo autem grauius nos puniemur, si nec exemplo uxoris Loth, sapientiores facti resipiscamus, illi enim, non est datum pœnitentiæ tempus, sed statim post commissum flagitium punita est, nobis uero bonitas Dei longissimum pœnitentiæ spaciū hactenus dedit.

Itaq; amāssimi exemplo Sodomorum & uxoris Loth admoniti, a pristinis nostris sceleribus ad dominum conuertamur, ut agnoscentes peccata nostra, credamus ea per Iesum Christum expiata & remissa esse, & per fidem spiritu sancto donati, obsequium Deo in præceptis eius præstemus, ut æternam salutem consequamur per eundem dominum nostrum Iesum Christum, qui est Deus laudandus in sæcula, Amen.

Historia

HISTORIA

TERTIA DE INSTITVCIÓNE VI

TVLI AVREI EXO. 32.

HOMILIA VNDECIMA.

PERSTRINXIMVS PRO MEDIOcritate nostra, quantum satis in admonitionem nostri uisum est, duas historias, alteram de Noe, & di luuio, alteram de Loth & incendio Sodomitico, quas ut diximus scriptura in nostri doctrinam commemorat, ut manifestis exemplis iræ dei aduersus impios, & misericordiam eius erga pios obseruemus. Nunc aliam tractabimus in Exodo capite tricesimo secundo descriptam. Cuius argumentum est, quod postquam Israelitæ ex Aegypto a tyrannide Pharaonis, per mare rubrum, liberati fuerant, & Mose in montem Oreb, qui a nomine deserti Sinai uocatur, ascenderat, ut a Deo, leges populo ferendas acciperet, & ibidem quadraginta continuis diebus ac noctibus morabatur. Interim populus uitulum aureum instituit, quo omnipotentem Deum, qui ipsos ex egypto educerat, coleret atq; ueneraretur. Iratus igitur domi-

H v nus

HOMILIA VNDECIMA.

nus, uniuersum populum Israel deleuisset, nisi Mose preces iram eius mitigassent.

Que historia, sicuti priores, non propter Iudeos tantum, sed etiam propter nos conscripta est. Id quod indicat Stephanus in Actis Apostolicis capite septimo, qui cum summam hanc historiam commemorasset, ad extremum aptat eam ad suorum temporum inuictos, dicens. Duri ceruice & incircumasi corde & auribus, uos semper spiritui sancto resistitis, sicut patres uestri ita & uos. Multo autem clarius ostendit illud Paulus in priore ad Corinthios Epistola capite decimo. Patres nostri (inquit) omnes sub nube erant & omnes per mare transierunt, sed plures illorum non approbavit, prostrati sunt enim in deserto, hec autem figura nostri fuerunt, ne nos simus concupiscentes, rerum malarum quemadmodum & illi concupierunt, neque simulacrorum sitis cultores sicuti quidam illorum, quemadmodum scriptum est. Seddit populus ut ederet ac biberet, & surrexerunt ad ludendum. Et postea. Hec autem omnia figura contigerunt illis, scripta uero sunt, propter admonitionem nostri in quos termini etatum incidunt. Proinde, audiamus rem gestam ex ordine, ut ex alienis erratis, & supplicijs, nostram insipientiam emendemus.

Vident

IOANNIS BRENTII

Videns populus quod moram faceret defendendi de monte Moses, congregatus aduersus Aheron ait, Surge, fac nobis deos, qui nos precedunt.

Etenim cum Israelite, ex Aegypto egressi in desertum sinai peruissent, ascendit Mose, quem admodum antea breuiter indicauimus, in montem Oreb, ut legem a domino afferret, quo, quadraginta diebus & noctibus, in cacumine montis persecurante, impatientissimi reddebantur Israelite, & obliti beneficiorum que Deus ipsis per fidelem ducem Mosen contulerat, in impietatem erga Deum, & ingratitude erga Mosen collabuntur. Ira enim ex diuturna mora perati, turbam commouent aduersus Aheron, & dicunt. Surge fac nobis Deos qui nos precedant, Mose enim nescimus quid acciderit. Suspiciamus feram ipsum deuorasse, quid si terra ipsum deglutiisset, aut fortassis suspensus ex arbore pendet. Vt cunque sit, quid ad nos Mose? quasi uero necesse haberemus ex ipsis tantum prescripto uiuere, & id solum agere, quod ipse somniauerit. Nequaquam amplius patiemur ut aut Mose, aut alij sacrificuli nostra patientia abutantur, & nos pro sua libidine trahant.

HOMILIA VNDECIMA.

tractent. Sumus & nos populus Dei, quid ergo ad nos Mose & sacrificulorum prescripta? Hanc enim fuisse Israelitarum sententiam, etiam ex alijs locis manifestum est, sic enim in Numeris capite uicesimo sexto ad Mosen & Aharon dicunt. Sufficiat uobis, Quid omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est dominus, cur eleuamini super populum domini.

Ecce autem, admirandam uulgo insolentiam. Vulgus fastidit Mosen, hoc est, abominatur sacrificulos, et tamen sine sacrificulis neque natare, neque literas, quem admodum est in prouerbio, nouit. Ad Aheronem enim magna turba contendunt, & flagitant, ut ipsis faciat deos. Si fastidiunt sacrificulos, cur non ipsi pro libidine sua deos institunt? At quid facerent, qui nec per se sapiunt, nec sapientibus parere sciunt, hoc est, omnium rerum, & diuinarum & humanarum imperiti. Fac (inquiunt) nobis deos, qui nos precedant. Quid? fuerunt ne Israelitae tam stulti, tam uecordes ut existimauerint, celestem Deum posse a terreno homine fieri? absit, & si enim homines plane ignaui, insipientes & impij fuerint, tamen non fuit tantus in eis stupor ut crediderint, ut homo possit Deum facere.

Quid ergo sibi uolunt haec uerba, Fac nobis Deos? Varius est usus huius uocabuli DEVS. Interdum enim hoc nomine inuisibilis Deus omnia creans, omnia seruans, omnia administrans intelligitur. Qualem deum  
etiam

IOANNIS BRENTII.

etiam gentes, quae paulo sanioris fuerunt mentis, crediderunt, id quod gentium Theologi testantur. Alius dicit, Iouis omnia plena, Alius, Huius progenies sumus. Alius. Est deus in nobis agitante calescimus illo. Huc accedit testimonium Pauli, qui ad Romanos scribens, ita ait, Quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis, Deus enim illis patefecit, siquidem quae sunt inuisibilia, illius, ex creacione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidetur. Ipsaq; aeterna eius potentia ac diuinitas. Iam si gentes talem Deum crediderunt, quanto magis Iudei, qui a Patriarchis omnipotentis Dei cognitionem quasi per manus acciperunt. Quia uero hic Deus tam inter gentes, quam Iudeos unus quidem & idem, uarijs tamen sacris colebatur, & diuersis cultibus adorabatur. Ideo etiam sacrum ad honorem omnipotentis Dei institutum & cultus diuinus communi sermonis consuetudine, dictus est Elohim, uel Deus, ut alius quidem sit Deus occultus, nimirum uerus deus omnipotens & omnia implens, alius autem manifestus, nimirum cultus diuinus in honorem Dei, manifeste celebratus. Hac enim causa cultus diuinus dictus est Deus, propterea quod summus & optimus maximus Deus eo colebatur, atque honorabatur. Et enim quod gentes honorauerint cultibus & sacris suis externis summum deum, Iudicat Paulus ad Romanos scribens, Mutauerunt gloriam immortalis dei per im-

HMILIA VNDECIMA.

ginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem  
effictam, uerum etiam uolatiuū & quadrupedum &  
reptilium. Et rursus in Actis Apostolicis, Cū simus ge-  
nus dei, non debemus existimare auro et argento aut  
lapidi arte sculpto, et inuento hominis numen esse simi-  
le. Quibus uerbis Paulus perspicue significat, gentes  
aureas suas, aut argenteas statuas, nō credidisse ueros  
esse deos, sed illas ad honorē Dei instituisse propter  
nō nullam quam fingeant inter Deū et aurum simili-  
tudinē, uel quia aurū hominibus placēbat, existimabāt  
illud quoq; deo, si in honorem eius institueretur placē

Quod autē & Iudei alienis suis sacris uerū (re-  
quem imaginabantur Deū coluerint, manifestum est e  
Psalmo centesimo quinto, Mutauerunt (inquit) gloriā  
suam in similitudinē uituli comedentis fœnū, Et apud  
Oseam. In illo die ait dominus uocabit me, uir meus,  
et nō uocabit me ultra Baalim. Et hoc est, q̄ rectus  
Deus dicitur cultus diuinus uerbo domini institutus  
et sanctificatus. Alienus autē deus dicitur cultus diuinus  
in honorem quidem Dei institutus ab humana autem  
ratione excogitatus et uerbo domini minime consecra-  
tus, qui & Idolū uocatur, et sacrum eius Idololatrid.  
Ergo cū hoc loco uulgus Israelitarū ait. Fac nobis  
Deos, hanc habet sententiam. Institute nobis cultum  
aliquem diuinum, quo gratiam & auxiliū dei emerē-  
mur, ut eius ductu ex hac uasta & horrida solitudine  
liberemur.

IONNIS BRENTII.

liberemur, qui fortassis nunc a priori nostro duce Mo-  
se, seducti & derelicti sumus.

Ita uides, uulgum absente Mose, hoc est, lege &  
uerbo domini ad facticios Dei cultus spectare, et nouis  
semper sacris humana prudentia excogitatis studere,  
Cuius ingenij, manifestissimum nobis exemplum, in  
regno Papæ exhibitum est. Etenim, cū multis annis, do-  
ctrina Euangelij, quæ est de iustificatione per fidem in  
Iesum Christum, humanis somnijs prorsus obscurata  
esset, et uerus Dei cultus, qui est uere credere in Ie-  
sum Christū, ignoraretur, Vulgus Christianorum ad  
quæuis obuia sacra, & facticios cultus delapsus est.  
Hinc sunt tot genera Missarum, peregrinationes, cul-  
tus sanctorū, processiones, cæta ieiunia, cæta rosaria,  
cæta corporis castigaciones que omnia hæc opinione  
facta sunt, ut factores per opera illa (Sic enim uocant)  
operata, remissionem peccatorum et iustificationē con-  
sequerentur.

Sed quia nobis ueritas Euangelij, diuina clementia  
illuxit, agite fratres amiciissimi, fugiamus alienos de-  
os, et minime audiatur a nobis impia illa uox, fac nobis  
Deos, sed respiciamus per fidem ad dominū nostrum  
Iesum Christum ut per illū, tanquam propitiatorem  
& intercessorem, ad Deum patrem accessum habeamus,  
& ueram salutem assequamur, in eodem Iesu  
Christo domino nostro qui est Deus laudandus in seculū  
in seculū, AMEN.

HOMILIA DVODECIMA.

**O**BSERVAVIMVS superiori die, amici mi, maximam in vulgo Israelis, importunitatem, qua noua sacra, absente Mose, ab Aherone, prope conuitijs efflagitauit. Obseruemus nunc Aheronis in obsequendo uulgi desiderio ignauiam & præposteram cauendæ seditionis prudentiam. Dixit enim ad eos Aheron.

Tollite in aures aureas de vxorum filiorum & filiarum uestrarum auribus & afferte ad me.

Sæbat quidem Aheron, multos cultus diuinos absq; uerbo & mandato domini instituendos esse, sed quid faceret? uidebat populum tumultuare, uidebat seditionem subinde magis gliscere, & periculum erat, ne si uotis eorum non obsequeretur, in diuersa dilaberentur, aut fortassis ad Aegyptum redirent. Itaq; reip. prudenter consulturus petit muliercularum & liberorum in aures aureas, quæ eo seculo publica mulierum & puerorum decora & ornamenta fuerunt, qualia quondam apud Romanos fuerunt bullæ, & apud nos monilia, Petit autem non quod speraret mulierculas sua ornamenta exhibituras, sed hoc fortassis consilio, ut magnitudine sumptus & spoliatione suarum inaurium a suo instituto deterrerentur,

IOANNIS BRENTII.

tur, quod tamen tantum absuit, ut muliercula nihil unquam maiore animi libentia in commune contulerint.

Fecit enim populus quæ iusserat, deferens in aures ad Aheron.

Etenim hæc est hominum natura, hoc ingenium, ut ad instituendum cultus facticios, & sacra superstitiosa sumptum & impendium liberalissima animi alacritate copiose conferant. Ad instaurandum autem & conseruandum ueros dei cultus uerbo domini ordinatos & commendatos, prorsus inuicissimi sim. Cuius rei non est necesse, ut de longinquo exempla petamus, consideremus saltem mores nostros, quos adhuc sub papistico regno existentes, palam declarauimus. Quis enim non erat promptissimus ut aliquid conferret ad instituenda anniuersaria? ad fraternitates? quas uocant, ad receptacula e quibus sacrificii Sacramentum corporis dominici uulgo demonstrabant? unde & nomen inditum, monstrantias enim uocant, ad cultum et uestitum Missarum? & ad alia id genus sacra? Interim autem pauperibus, in nosocomio, pauperibus aduenis & alijs, quos necesse habemus Christiana caritate impendio iuuare uix tantillum contulimus, unde fami suæ consulere potuissent. Iam cum e doctrina Euangelij didicerimus quidem, nihil in su-

I persti-

HOMILIA DVODECIMA

persticiosa sacra conferendum esse, probe illud obseruamus, quod autem additum est uide licet egenis subueniendum esse, hoc demum surdissima aure preterimus, & quod superstitiosis sacris detrahimus, in conuiuia, in delitiis & uoluptates impendimus, sed quid hoc aliud est, quam uorsuram, ut est in proucratio, facere, & e presentibus malis sic sese extricare ut alijs fere grauioribus impediatis, proinde, ut imminencia supplicia deuitemus, superstitiosa studia ita relinquenda sunt, ut pia sectemur.

Redeamus autem rursus ad Aheronem, Enim uero cum is uideret, preter opinionem fortassis suam Israelitarum mulierculas, superstitiosum hominum genus, maxima promptitudine, ornamenta sua conferre quo se uerteret nesciebat, tenebatur enim nunc sua ipsius pollicitatione costrictus, et nulla uidebat satis idoneam recusandi causam, ne cultus diuinus tam ardentibus uotis exoptatus institueretur. Porro fidelis pontifex duricie populi assisset, in his rebus, que licet periculose sint, per se tamen, nec honeste, nec inhoneste iudicantur. Sic Samuel populo regem petenti assit, regem enim habere, res est media, per se nec pia nec impia. Sic Rehabeam debuisset populo remissionem tributorum petenti, & dederet, quippe quo, tributa dare, per se, nec bonum nec malum astimandum est. At non est fidelis pontifex, qui populo in his cedit, que sunt impia et uerbo domini prohibita, unde pro

IOANNIS BRENTII.

recto potificis officio fecit Azarias quod restitit Vrias regi qui propria presumptione incensum adolebat id quod solis sacerdotibus diuina lege comendatum erat, Contra, impie egit Vrias sacerdos quod regi Ahas in edificando altari damasci obsecutus sit, et auctoritate pontificis non restiterit.

Ita et Aheron fidele egisset pontifice si nulla prorsus ratione furori et impietate populi sui assisset, sed quoquo modo potuisset insaniam eorum comperuisse, et citius se periculo uitae suae, aut populi seditioni obiectasset, quam ut impietati eorum obsequium prestitisset. Nunc autem haud quaquam officio suo fideliter fungitur, sed bona quidem opinione, et affectu in speciem iusto, impio autem, et iniquo facto accepit in aures et formauit opere Euforio, et fecit ex eis uitulum constabilem, Non enim idolum aliquod gentile exculpit sed uitulum aureum, reputans secum, siquidem omnino cultus esset institutus, consultius fore, ut is institueretur, qui a Patriarcharum cultibus non admodum abhorreret, Patriarchae enim, sacrificauerunt deo uitulos. Itaque sic sentiebat Aheron. Si uituli carni deo placent, quanto magis uitulus aureus, qui carneo longe pretiosior est. Dixerunt ergo

Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.

Acclamatio, noui cultus diuini institutione approbans. Hi sunt di, inquit (hoc est) Is cultus nobis placet,

HOMILIA DVODECIMA.

is cultus nobis arridet, atq; propter hunc cultum, qui in honorem eius Dei institutus est, qui nos ex Aegypto pro eduxit, speramus fore ut ex hac solitudine liberemur. atq; Aegypti tyrannidem prorsus effugiamus. Obseruaquaso humani ingenij impietatem, quod quicquid dominus aut instituit aut precipit, hoc ei sordet, hoc fastidio est, quicquid autem, sua ipsius manus effinixerit, hoc amplectitur, hoc exosculatur, hoc etiamnum adorat, sic postea vulgus Israelis sacrificia excelsorum exosculatus est, sacrificia autem domini in templo Ierosolimitano fastidiuit, sic nunc hypocritae Missam in remissionem peccatorum impie obseruatam, tantum non adorant, sacra autem a Deo instituta, hoc est, fidem, inuocationem nominis Dei in aduersis, & opera ueræ ac Christiane charitatis extremo contemptu negligunt. Ceterum cum animaduerteret Aheron populo nouum inuentum gratissimum esse. existimans se egregiam nauasse operam, ad ficauit altare coram eo, & præconis uoce clamauit. dicens.

Cras solennitas Domini est.

Conuocat enim Aheron populum ad noui cultus dedicationem, Cras (inquit) solennitas domini erit, non ait, solennitas uituli, longe enim ab ipsis abesse ut credant hunc uitulum esse Deum, aut ut uitulo festum obser-

IOANNIS BRENTII.

obseruent, & sacrificia ei offerant, sed que hic fiunt, omnia pro ipsorum opinione ad honorem Dei fiunt, quo gratiam Dei emereantur, nam quod sequitur,

Surgentes mane, obtulerunt holocausta & hostias, & sedit populus ut manducaret & biberet, & surrexerunt ut luderent.

Non intelligas ad honorem uituli, sed ad cultum Dei factum esse, Sicut enim aureum uitulum soli diuino honori consecrant, ita soli Deo offerunt holocausta, ad honorem Dei epulantur (id quod in sacrificijs legis fieri solebat, quemadmodum in multis locis lex testatur) & ad honorem Dei sacros ludos celebrant, quemadmodum etiam Ethnici in honorem deorum suorum uaria certamina, uarios ludos, & celebrarunt, & hypocrite inter Christianos in honorem Dei luserunt passionis Christi historiã aut Sebastiani et katherine si

Quæso ite, quid hic mali iuxta exagmента ternam spetiem committitur? quid sceleris designatur? Aheron enim optima opinione, uidelicet, ne populus seditione concutiat, cultum diuinum instituit, populus maximum sumptum ad nouum cultum confert, & institutum, maxima ueneratione obseruat. Et hæc omnia in honorem Dei fiunt. Diceres, cultum rears institutum, esse ipsissimum spiritus sancti

HOMILIA DVODECIMA.

sancti opus, Longe uero aliter sese habet res in conspe-  
ctu Dei, Etenim Aheron qui uolebat hoc cultu cauere  
ne' populus periret, fere ipsum in extremam internis-  
sionem coniecisset. Et populus uolens hoc cultu pla-  
catum & propitium sibi reddere Deum, ad tantam  
eum indignationem pronocauit, ut ad Moſen diceret  
Dimitte me, ut irasatur furor meus contra eos & de-  
leam eos.

Principio igitur ex hoc loco obseruandum est  
quod exemplo Aheronis, non sint facienda mala ut  
eueniant bona, nam qui male agit, ut bonum promos-  
ueat, is nihil aliud agit quam quod amarinam, ut est  
in prouerbio, mouet. Sic Hierabeam instituendo ui-  
tulos aureos in Israhel cauere uoluit, ne nouis impe-  
rij status, iterum turbaretur si Israhelice ad Ierusalem  
celebrandorum festorum & cultuum diuinorum gra-  
tia proficiscerentur. Bonum quidem est cauere sedi-  
onem & imperij tumultum, pessimum autem est ad-  
persiciendum illud bonum impietate & sceleribus con-  
tendere, Quid ergo Hierobeam hac sua prudentia esse  
ait? plane non aliud, quam quod peiora mala in re-  
gnum Israhel induxerit, & se suamq; familiam & pa-  
stritatem perdiderit. Sic Pharisei homicidio Christi  
prouidere conabantur, ne gens eorum a Romanis tole-  
leretur. Prudenter quidem fit, ut regionis alicuius de-  
uastacio caueatur, at hoc non solum imprudenter uen-

rumetiam

IOANNIS BRENTII.

rumetiam impie factum est, quod Pharisei interficien-  
do Christum male fecerint, ut bonum pro ipsorum  
opinionem eueniret. Hac igitur Phariseorum pruden-  
cia effectum est ut Iudeorum natio, in omnes tam cor-  
poris tam anime calamitates coniecta sit.

Deinde animaduertendum est ex hoc loco, hipocri-  
tica, supersticiosa, & impia sacra iudicio quidem hu-  
mano honesta & diuina uideri. Iudicio autem diuino  
multo grauiora esse scelera, quam homicidia, uel la-  
trocinia, uel externa adulteria, atq; alia id genus flagi-  
tia, propter hac enim dominus gentem aliquam puni-  
re quidem, non tamen delere solet. propter illa au-  
tem, uniuersam gentem delet. Id quod Israheli conti-  
git, cui quamquam nunc propter Moſi preces parcat,  
peccati tamen illius recordatur usq; ad Iesu Christi  
aduentum, posteaquam enim ille morti traditus est,  
excacacio, ut Paulus ait, Israheli accidit, ut nunc nec  
pro populo in hoc mundo reputetur, nec hereditatis  
eternae particeps fiat, quod quid aliud est quam omni-  
no deletum esse. Ceterum cum uitulinus cultus ab Ahe-  
rone institutus esset, locutus est dominus ad Moſen di-  
cens.

Vade descende peccauit populus tuus quem  
eduxisti de terra Aegypti recesserunt cito de via  
quam ostendisti eis.

HOMILIA DVODECIMA.

Quid hoc? Aheron instituerat sacra, non ad Idolatriam, sed ad honorem Dei, cur ergo dicit dominus, Peccauit populus, & Mose uocat illud peccatum maximum? Hec omnia in nostri doctrinam scripta sunt, ut hinc discamus sacra, etiamsi in honorem Dei instituta & obseruata sunt, tamen si non fiant e uerbo domini & fide, esse maxima peccata, & atroissima in conspectu Dei scelera. Hinc igitur probe iudicare potes, quid de sacrificio Missæ, apud Papistas sentendum sit. nam cum illi sacrificium Missæ pro satisfactione peccatorum quæ uel mortui commiserunt uel uiui nunc committunt, obseruent, manifeste uides quod hoc sacrum, sine uerbo Dei & sine fide, sed potius contra uerbum Dei & fidem obseruetur. Verbum enim dei docet nullum opus humanum quantuncumque sanctum satis esse pro peccatis expiatione, sed solum opus & sacrificium Christi, quod ille in cruce semel peregit pro peccatis esse satisfactionem. Et uera fides sic credit, quod per solum Christum non per opus missæ operatum, ut uocant, iustificatio contingat. Itaque Missæ sacrificium, apud papistas prorsus nihil differt a cultu uitulino, quem Aheron absente Mose in deserto instituit. Quod si ab eo cultu nihil differt, mirum non est, quod tot Christianorum nationes & gentes perierint.

Olim in tota Asia, Græcia & Aegypto Christus prædicatus est, nunc Mahometh ille prædicatur. Non  
stra me

IOANNIS BRENTII.

stra memoria Rhodus insula Christum adhuc agnouit, nunc, agnoscit Mahumetum, & periculum est, ne & tota Ungaria nunc Mahumeto sese tradat, Vnde obsecro tanta calamitas Christiano populo accidit? certe si rem recte expendamus, celebratione Missarum Papisticarum peccauimus peccatum maximum. itaque mirum non est, quod tot egregie nationes a Christianismo reiectæ sint, mirum autem est quod non una omnes quotquot adhuc Christi nomen tenemus, perierimus. Nam si Corinthij propter leuissimum cænæ dominicæ abusum, ita a domino castigabantur, ut pars egritudine corporis afficerentur, pars mortifera peste interirent, quanta obsecro pœna dignum est, quod cænæ dominicæ non simpliciter abusi simus, sed per eam passionem domini nostri Iesu Christi contaminauimus & summa blasphemia affecimus? Hæc quoties nobis dicuntur aut predicantur, plerisque risus sunt, iocus sunt, attamen si nos probe animaduuerterimus uerba Dei nostri quæ de cultu uitulino cum Mose loquitur, maxime serua uidebuntur, quæ de satisfactorio missæ sacrificio dicere solemus. Sic enim ait dominus ad Moysen.

Cerno, quod populus iste dure cœrucis sit, dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.

HOMILIA DVODECIMA.

Audis ne Israhelem uocari incuruicrucum? Audis ne dominum furore irasci? Audis ne dominum discernere se Israhelem delecturū? Quam ob causam? mirum ob nullam aliam, quam quod plane eadem opinione, qua papistæ sacrificium missæ obseruant, Israel cultum uetulinum obseruauerit. Putas igitur uerba dei esse aut ficta, aut simulata, aut ridicula, aut iocosa? Non certe, de uerbo enim domini dicitur Caelum & terra transibunt, uerba mea non transibunt. Sed ualeant, impij, qui uerbum dei risu excipiunt. Hi enim quia simpliciter cum Israelitis peccant, similiter cum ipsis peribunt. Si qui uero pij sunt, ex hoc domini uerbo quod ad Moſen dicitur, dimitte me, ut irascatur furor meus, spiritu sancto doctore, facile animaduertere possunt quod dominus tradat se piorum uoluntati, ut ita dicam, captiuum, nisi enim detineretur a Moſe captiuus, non diceret dimitte me. Cuius rei in patriarcha etiã Lotho exemplum audiimus ad quem dominus dicebat. Festina et saluare ibi, quia non potero facere quicquã donec ingrediaris illic. Efficiamur igitur Moſe similes ut fide ad dominum clamantes indignationem & furorem eius, ita auertamus ut nobis reddatur propitijs per Iesum Christum dominum nostrum, qui est Deus laudandus in sæcula, Amen.

121

IOANNIS BRENTII

HOMILIA DECIMATERTIA.

INTER ea quæ hesternò die de cultu uitulino diximus, illud quoq; breuiter adiecimus quod dominus propter externa scelerata, ut sunt furti, latrocinia, cedes, adulteria, ebrietates & id genus alia, totã aliquam gentẽ affligere, non autẽ totam perdere solet, propter impios autẽ cultus et sacra aduersus uerbum Dei instituta, non solum affligat, uerum etiã radicis perdat. Quod cũ partim nouũ uideatur, partim nonnihil ad incuciendum terrorem his qui sacrificio missæ pro peccatis satisfactorio paulo equiores sunt, faciat, et eos ad resipiscẽtiam inuitet, non incommodum uidetur, dilucidius, breuibus tamen explicare.

Etenim diuinos cultus, & sacra Ecclesiastica contra uerbum domini & fidem instituire ac obseruare non solum est per incredulitatem a Deo deficere uerum etiam honestũ incredulitati et defectiõni titulum preterexere, quo efficitur ut et incredulitas nõ agnoscat, et ea nõ agnita, cor inpenitens reddatur. designare autem homicidia, latrocinia, et alia manifesta flagitia, est quidem ita peccare, ut nisi penitentiã agatur, propter illa scelerati damnentur. unde Paulus ait Neq; adulteri, neq; molles, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces ita a Deo deficere, ut peccatum honestis titulis excusetur, & non manifeste agnoscat, quem admodum igitur in rebus ciuilibus, qui aliquam priuatam magistratus legem

HOMILIA TREDECIMA.

uolauerat, punitur quidem seu ciuili, seu ut maxime capitali supplicio, bona tamen familia eius fisco non traduntur, qui uero a magistratu defecerit, aut contra magistratum coniurauerit, is cum uno scelere omnes simul leges uiolet, et uitam et bona, que uocant amittit, Ita populus impijs sacris a Deo deficiens et quodammodo contra ueritatem uerbi eius coniurans, digne plectitur, non solum castigacione priuata, sed etiam publica deusatione. An non uides parentes non propter quoduis delictum liberos suos exheredare? Si enim filius paulo largus uinum ingurgitauerit, aut cum scorto consuetudinem habeat, grauius quidem in parentem peccat, sed tamen ab eo non exheredatur. quod si, uero parenti uenenum parauerit, aut lectum eius genialem commaculauerit, tunc demum prorsus e familia excluditur. Ita si gens aliqua, externis sceleribus aduersus Deum peccet, offenditur quidem deus, at non statim propter illa scelera totam gentem euertit. Quod si uero impietate, diuina sacra uel instituat uel obseruet, ita Deus offenditur ut totam gentem euertat.

Que diximus scripture exemplis comprobata sunt. Confer obsecro inter se fratres Ioseph et Gedeonem, et manifeste eorum que dicta sunt ueritatem animaduertes. Etenim fratres Ioseph suum Iosephum, quem neci destinauerant, alienigenis uendiderunt et

IOANNIS BRENTII.

licet ingens sit peccatum, Deus tamen, propter illud familiam eorum non euertit. Gedeon autem fecit ex inauribus preda acquisitis Ephod, in honorem quidem Dei, sed contra uerbum Dei, et posuit illud in ciuitate sua Ephra, cum igitur omnis Israel in eo fornicaretur, tota Gedeonis familia euerfa est. Deinde si Saulem et Dauidem inter se contuleris idem inuenies. Dauid enim peccabat adulterio et homicidio, non tamen euertit eum dominus nec familiam eius. Saul autem peccauit sacrificio suo, quod ex preda Amalechitarum in honorem Dei contra Deum instituerat, et audit, pro eo quod abiicisti sermonem domini, abiecit te dominus ne sis rex.

Iam cum misse sacrificium, quo hypocrite peccata sua expiare conantur, sit blasphemia in sanguinem domini nostri Iesu Christi, satis dilucide causam intelligimus quare tot regiones, tot gentes, tot nationes, a Christianismo reiecte sint, satis quoque perspicue animaduertimus quid Germanie immineat, si non ab impijs suis sacris respiciat, nam si dominus Israelitas, propter cultum uitulinum semel tantum obseruatum, euertere uoluit, quanta indignatione eam gentem euertet, que sacrificijs missarum, non semel ut Israel sed quouis die, quouis fere hora, quouis momento plusquam mulies sanguine Iesu Christi, contaminat et contumeliat. Et si dominus Israeli propter impium cultum

HOMILIA DECIMATERTIA.

semel tantum obseruatum, parcere uoluit, cum tam  
men Israel postritas fuerit Abrahæ Patriarchæ,  
longe omnium sanctissimi, & Deo acceptissimi, &  
propter quem Israelelem paulo ante mare rubrum  
diuiserat, Pharaonem una cum exercitu suo in ma-  
ri submerserat, Manna de coelo dederat. Et Ama-  
lechitas hostes fugauerat, quanto minus parceret incir-  
cuncisis gentibus, quæ præter naturam, ut Paulus  
ait, in ueram oleam insite sunt.

Sed tempus nunc est, ut uideamus quid dux Isra-  
helis Mose egerit postquam animaduertit Deum  
propofuisse quod gentem Israeliticam euersurus,  
& ipsum maiori & gloriosiori genti ducem præ-  
fecturus sit. Alius quidam impius princeps gratissimo  
animo oblatam a Deo conditionem accepisset, & tam-  
in gratum & sediciosum populum maxima prom-  
ptitudine iræ dei exposuisset. Mose autem eximium  
caritatis & fidei exemplum in se præbet. Caritatis  
est, quod cum nunc haberet occasionem se ulciscendi  
de iniuria sæpe numero ab Israele illata, maluit ta-  
men sua ipsius salute carere, quam Israelelem in pe-  
riculum salutis conijcere. Fidei est, quod cum intel-  
ligeret Deum retineri posse (dixerat enim dimitte me)  
confestim ad piam & fidelem orationem, ueluti ad  
compedes, quibus deus, ut ita dicam, captiuus tenetur,  
festinat, & dicit.

Cur

IOHNNIS BRENTII.

Cur domine irascitur furor tuus contra po-  
pulum tuum quem eduxisti de terra Aegypti,  
in fortitudine magna & in manu robusta: Ne-  
quiso dicant Aegypti, callide eduxit eos, ut in-  
terficeret in montibus & deleret de terra, quies-  
cat ira tua, & esto placabilis super nequitia popu-  
li tui. Recordare Abraham Isaac, & Israel seruo-  
rum tuorum, quibus iurasti per te ipsum di-  
cens. Multiplicabo semen uestrum sicut stellas  
coeli, & uniuersam terram hanc de qua locutus  
sum dabo semini uestro & possidebitis eam sem-  
per.

Verba pauca, sed energia multa, sermo rudis, sed  
eloquencia efficacissima qua non homo, sed Deus per-  
suadetur. Primum enim proponit Mose, in præcibus  
suis Deo, ueterem eius consuetudinem, quod nihil frustra  
agit, quod non uana miracula operetur? Edu-  
xisti (inquit) hanc Israelis multitudinem ex Aegy-  
pto, maxima potentia, & inauditis miraculis, qui igitur  
conueniret ut nunc Israelelem euerteres, an uana  
& irrita efficies miracula tua? certe cum sis omnium  
sapientissimus, non committes, ut quisquam te impru-  
dencia accuset, & dicat te frustra tot miracula fe-  
cisse.

Porro, ne dominus obijciat se superioribus se-  
culis totum orbem diluio et totam Sodomitarum regio-  
nem incendio

HOMILIA DECIMATERTIA,

in incendio euertisse. Itaq; si tunc ob hominum malitiam operi manuum suarum non pepercisset, nec nunc parere uelle, occupat illud Moyses dicens. Sed alia est ratio huius populi atq; prioris orbis, & regionis Sodomiticae. Si enim hunc populum euerteris, apud omnes gentes, Aegyptiacas, & finitimas, pessime audies, nam gloria nominis tui, in diluuiio orbis, & incendio Sodomitico promouebatur audiebas enim, deus, iustus iudex. Nunc autē, si populū Israel deleueris, gloria nominis tui, perpetua ignominie nota sordidabitur. Dicent enim de te Aegyptij, callide eduxit eos ut interficeret in montibus, & deleret de terra. Finitimae quoq; gentes quae audierunt quod hunc populū multis miraculis & tyrannide Aegyptiaca liberaueris, dicent. Non poterat introducere populum in terram, de qua iurauerat, id circo occidit eos in deserto.

Rursus possit dominus respondere, quid ad me gentium probra? gentes nuquam de me bene sentiunt, et nunc bene sentirent? semper nomini meo maledicunt & nunc benedicerent? His iterum Moyses occurrit & ait, Si te non mouent gentium probra, quibus nomē tuū si Israhelem euerteris, afficient, moueat saltem te tua ipsius promissio. Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruatorum tuorum quibus iurasti per te ipsum dicens, Multiplicabo semen uestrum sicut stellas caeli & uniuersam terram hanc de qua locutus sum dabo semini

IOANNIS BRENTII.

semini uestro, et possidebitis eam semper, Quod si promissa tua non seruaeris, non solum bonam nominis tui famam inter impias gentes amittes, uerum etiam fides tua apud pios periclitabitur. Nunquam illi promissione tua fident, Nunquam bene de bonitate tua sperabunt, si in promissis tuis, propter hominum malitiam mendax inueniaris. Atq; haec est orationis Moysi sententia, ut igitur, cognoscamus nihil esse oratione pia ac fidei efficiacius, uideamus quam alte haec Moysi oratio in pectus Dei penetret, Sic enim sequitur.

Placatus est dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.

Nunc mihi uide. Si omnes diuiciae in unum locum collectae, Deo oblatae fuissent, Si omnes totius orbis reges & principes populum illum collatis uiribus defendissent, Deniq; si omnes sapientes, consilia sua contulissent, non tamen potuissent iram Dei aduersus hunc populum conceptam placere. Sola oratio pia eaq; breuissima iram Dei mitigat. Ex hac igitur oratione discamus rectam orandi formam, & efficacem in conspectu Dei eloquentiam, ut & nos in afflictionibus nostris Deum persuadere & iram eius mitigare queamus. Et enim haecenus in Germania peccauimus aduersus fidem & caritatem grauissime, & for-

HOMILIA DECIMATERTIA.

taffis longe grauius, quam uel regio Constantinopolitana uel Rhodus Insula, uel Ungaria. Optimo igitur iure & merito nostro, timemus Turca aduentu, aut aliam quandam publicam calamitatem & deuastacionem. Quid ergo faciendum est? Postquam ex fide, in Iesum Christum dominum nostrum respicerimus, ad piam & fidelem orationem confugiendum est, & orandi exemplum a Mose petendum. Sic autem, aut aliquid tale dicamus.

Hactenus, misericors & clemens domine Deus noster, nos ab infancia in religione Christianissimi educasti, per mare baptismi cauisti, de petra, Christo tuo, nos potasti. Coena dominica ueluti caelesti manna, nos abasti, ergo ne opus manuum tuarum nunc perderes? et arborem ad fructum profertendum nondum satis ualida detrucares? non facies. Quod si in conscientia nostra obiectionem audiamus. Deus nec alijs peccantibus pepercit, uidelicet Grecis, Rhodijs & Ungaria, quomodo igitur Germanis pareret? Reseramus nos. At tunc gloria tua erat, quod impios peccatores euerterbas, & audiebas, Deus iustus iudex, & personarum non respector, qui propter peccata nec electo populo parceres, Nunc autem si Turca nos superauerit, nominatum summis blasphemis inter Turcas afficietur, qui dicturi sunt, impotentior est Deus Christi anorum quam ut possit eos de manibus nostris liberare. Sed nihil con-

guit

IOANNIS BRENTII.

quit Deus) moror Turcarum blasphemias, quid ad me, quid illi canes & pora de me sentiunt? Malorum conuicia bonorum laudes sunt. Obijciamus nos, At non apud Turcas solum male audies, uerum etiam apud omnes pios & fideles. Recordare te promississe omnibus in Iesum Christum filium tuum credentibus quod quacunque die te inuocauerint uelociter eos exaudire uelis, memento te dixisse, antequam clament ego exaudiam, adhuc illos loquentes ego audiam, memento, quod per Daniele dixisti, Cornu illud paruulum, quo nos hoc tempore petimur, non esse plusquam tres reges euersurum. Itaque si nunc non exaudieris & adiuueris nos, etiam fideles tui a te deficient, & promissiones tuas mendacij arguent. Impossibile esset, si talia ex fide precamur, quin Deus nobis placatus redderetur & omnes nostros aduersarios ad fedissimam fugam a pesanda compelleret. Proinde amissimam inuocemus patrem nostrum caelestem per Iesum Christum filium eius, ut remissis peccatis nostris bonitatem clementiae suae nobis exhibeat, & misericorditer nos ab omnibus malis defendat per Iesum Christum dominum nostrum, qui est Deus laudandus in saecula. Amen.

K ij

Quarta

**Q**VANTA fuerit orationis Mosei efficacia, antea quantum nostro argumento sufficit, satis, ut puto, copiose explicatum est, etenim furor domini aduersus Israhelem ita mitigatus est, ut dominus suo irari cedens, uotis Mosei indulserit, & se Israhelem non euersurum receperit. Tametsi autem Mose oratione sua impetrauerat, ne gens Israelitica periret, non tamen securus munus suum negligit, sed omnem adhibet operam quo iuxta uocationem ministerij sui, eos qui peccauerant supplicio afficiat, & malum, ut lex dicit, de medio Israelis tollat.

Emendaturus igitur publicos peccatores descendit de monte, & cum adpropinquaret ad castra, uidit vitulum & Choros, iratusq; valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis, arripiensq; vitulum quem fecerant combussit & contriuit usq; ad puluerem, quem sparsit in aquam et dedit eis eo potum filijs Israel.

Quaeso te, diligenter in Mose obserues *EIKONEX* et imaginem boni & pij principis, seu ecclesiastae seu patris familias, posteaquam scelera uel subditorum uel auditorum uel familiae cognita fuerint. Principio enim

enim Mose uidens vitulum & Choros, hoc est, non uel dei cultum absq; uerbo domini institutum, maxima indignacione afficitur, non humano quodam furore sed diuino Zelo, non carnali insania, sed spiritali Dei studio. Solent & principes et ecclesiasticae, & patres familias interdum propter populi & familiae peccata irasci, optandum igitur esset ut nunquam Zelo suae utilitatis & studio gloriae suae, sed tantum diuinae gloriae emulatione irascerentur, carnis enim ira uerbo domini prohibita, at spiritus ira, qualis est in ijs qui studio Dei propter peccata irascuntur, non solum non est prohibita, sed etiam commendabilis est, & diuina uocatione dignissima. Quemadmodum, enim Mose hac sua indignacione palam declarauit, uehementem fuisse indignacionem Dei erga cultum nouiter institutum, ita principes aut alij praepositi, ira sua spiritali utcumq; adumbrant diuinam iram aduersus peccata conceptam.

Deinde, proijcit Mose tabulas legis de manu & confringit eas, quod speciem quidem furoris & insaniae habet, at longe absit ut talia de sanctissimo & alioqui mitissimo principe Mose suspicemur, Quod enim agitur, Zelo diuini spiritus agitur, qui spiritus in Mose ac tabularum confractione manifeste declarat, Israelitas nouis suis sacris, hoc est, Idololatria, totam legem uiolasse, fregisse, concussisse & dissipasse.

HOMILIA DECIMA QVARTA.

Qui enim adulterium committit nōdum homicidium commisit. Qui homicidiū designauit, nondū furtū designauit. At qui legitimo Dei cultu contempto, facticium cōmiserit, & in primum præceptum (quod est, Non habebis Deos alienos) peccat, is fit reus præuarcationis omnium preceptorum quæ in tabula legis sequuntur. nam usurpat nomen domini frustra. uerum sabbatum non agit, parentes non ex pietate colit adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia si non facto extoruo, certe affectus committit, breuiter omnia præcepta in uno uiolat, & uere illud impletur, quod Iacobus scribit. Qui offenderit in uno factus est omnium reus. Diuino igitur spiritu, Mose tabulas legis confringit, ut ostendat Iſraelem uno Idololatriæ peccato, totam legem fregisse, & indignum qui legem audiat.

Descendam ad nostra secula, nam & apud nos multo tempore Mose in monte moratus est, & habuit secum legis tabulas quæ nobis absconditæ fuerunt, cū enim instituta Missa papistica, pro peccatis satisfactoria, non lex Dei, sed humane constitutiones de non uescendis certo tempore carnibus, de celebranda missa, de offerenda ad altare pecunia, de peregrinationibus ad sanctorum sepulchra, de obseruacionibus fastorum & certorum ieiuniorum, de enumerandis auriculari confessione omnibus peccatis, de ærtis præcibus re-

IOANNIS BRENTII.

consendis, & id genus alijs cultibus, prædicarentur, nonne lex domini nobis plane abscondita fuit? nonne indigni eramus tot alienis dijs pene obruti, ut legem domini audiremus? Priusquam autem lex domini nobis reuelata est, contractæ sunt tabule legis à Mose, id quod tunc factum est, quando ueritatis doctores, & ij qui Ecclesie sinceram Euangelij doctrinam annunciant, magnitudinem & grauitatem impietatis nostræ, hæcenus declarauerunt, & uerbo domini ostenderunt, nos uno Idololatriæ peccato totam legem præuarcatos esse. Confringuntur etiam tabule legis in uniuscuiusq; conscientia, dum impietas agnoscitur. & manifesto iudicio Dei sentitur, totam legem a nobis uiolatam esse.

Porro, postquam tabule legis contractæ essent, arripuit Mose uitulum, & comburit ipsum usq; ad puluerem, quem effundens super aquas, dedit Iſrahelitis ut ex eo biberent. Quod Mose pro sua uocatione fecit, hoc unicuius nostrum pro nostra uocatione faciendum est, sunt enim omnium superstitionum & impiorum sacrorum uituli arripiedi & ad puluerem usque comburendi, non quidem temere, & impetu, ac illegittime, sed prout cuiusuis uocatio exigit, Ecclesiastes uerbo præ-

HO. DECIMAQVARTA.

predicacionis sue impiorum cultuum uitulos comburat. Sacrificulus impijs sacris uale dicat, uulgus & priuati quiq; , suo consensu impietatem non approbent, magistratus quantum potest & licet impia sacra abroget, nam ad puluerem deducere aliud non est, quam fastidire, contemnere, reprehendere, et abrogare, sic nos ad puluerem usq; combussimus missas papisticas, imagines sanctorum & alia impia sacra, non quia instrumenta misse & sacrificulos & imagines sanctorum in ignem iniecimus, sed quia testimonio uerbi domini comprobauerimus missam non esse sacrificium pro peccatis satisfactorium, sed coenam dominicam, a Christo in hoc institutam, ut edentes & bibentes corpus & sanguinem domini, recordemur beneficij Christi per mortem eius nobis collati, & conscientiam nostram aduersus inferorum portas per fidem confirmemus. Et quod de sanctorum imaginibus docuerimus, non esse eas aut colendas, aut adorandas, sed tantum eas ut res suapte natura medias & adiuuandam memoriam fortassis non inutiles seruari posse.

Sed quid illud est, quod Mose puluerem uituli in aquam spargit, & eo uulgum potat, nimirum declarat Mose suo facto impios non respicientes sed pertinaces in sua ipsorum impietate perire, puluerem enim uituli in aqua bibere, est sua ipsius impietate iudicari & condemnari, id quod septimus Psalmus ita exprimit,

IOANNIS BRENTII.

uit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerberem ipsius iniquitas eius descendet, unde & nos potamus impios aqua, puluere uitulino conuersa, dum impios iudicio diuino puniendos relinquimus, & nos in uera pietate pergamus. Post hæc, Aheron seueriter a Mose castigatur, quod postulationi Israelitarum assentit & nullo pacto exasatur, quod quæ fecerit bono affectu fecerit, liberatur tamen ab imminente periculo, quod peccatum suum agnoscat, confiteatur, & resipiscat.

Postremo uidens Mose populum, quod esset nudatus in auribus, & stans in porta castrorum exclamat, si quis est domini iungatur mihi.

Hoc est, si cui cordi est, non uitulus, sed uerbum domini, non cultus uitulinus, sed uerus cultus Dei, is me accedat, & mihi iungatur. His dictis congregati sunt ad eum omnes filij Leui quibus ait.

Hæc dicit dominus deus Israel, Ponat uir gladium suum super fœmur suum. Ite & redite deporta usq; ad portam per medium castrorum & occidat vnusquisq; fratrem & amicum & proximum suum, feceruntq; filij Leui iuxta sermone Mose, cecideruntq; in die illa tria milia hominum.

HOMILIA DECIMAQVARTO.

Que est hæc Mosei crudelitas, quod posteaquam placatus esset dominus, Leuitis præcepit, ut quoscumque in castris obuios habeant, trucident? Quid est, quod placato domino, ipse non placatur? Et quomodo hæc crudelitas cum ingenio Mosei conuenit, de qua alias scribitur, quod fuerit uir mitissimus super omnes homines. qui morabantur in terra?

Vt respondeamus, opinor iam dudum caritati uestra probe cognitum esse, quod sanctorum facta non sint iuxta spetiem externam, sed iuxta uerbum & mandatum domini iudicanda. Mose autem erat legitimus & ordinarius Israelis magistratus, cui a domino demandatum fuerat, ut eos qui se auerterent a uerbo domini, & alienos Deos instituerent. statim interficiat, & trucidet, ut omnis Israel audiens, timeat, et nequaquam ultra simile quicquam faciat Itaque, quod Mose iubet, ut obuij quicq; in castris trucidentur, non est crudelitas, sed administratio legis diuine, non atrocitas, sed obsequium uerbi Dei. Et si penitus rem inuestropicias, hæc que uidetur crudelitas, uera mititas, & hæc atrocitas, uera clementia est. Etenim, si ira parentis qui filium suum uirga erudit, autore Salomone, non est odium sed amor. Odium potius est, si abstinet uirgam, nimirum crudelitas magistratus, qua somites supplicio afficiuntur, non est crudelitas sed clementia, non est tyrannis, sed moderatio. Crudelitas potius est, si

IOANNIS BRENTII

est, si sentes absq; legitima causa impune dimittantur, Existimas ne, crudelem esse medicum, qui putridum membrum aut fecat, aut adurit, ne pars sana trahatur? Crudelis potius esset, si non secaret, ita magistratus tum uere clemens est, cum malos ut lex ait, de medio tollit, ut cæteri audientes timeant, & nihil tale ultra committant.

Certe Phineas scortatorem Israelitam & scortum Midianiticum uere crudeliter, ut apparebat, trucidans in populum Israel clementissimus erat, Hoc enim supplicio, auertebat a toto populo interuentionem, & reddebat eis Deum placatum. Auertere autem supplicium a populo, & Deum mitigare, nonne summæ clementiæ opus est?

Proinde, Mose tum uere in populum Israel clemens, et ut de ipso scribitur longe omnium mitissimus fuit, cum pro magistratus sui officio aliquot milia ex innumerabili populi multitudine trucidari iussit, ut hoc supplicio, partim sceleris commissi magnitudo declaretur, partim alij a nouorum sacrorum institutione hoc exemplo deterreantur. adeoque Deus supplicium suum remittat. Paulus enim ait. Si nos ipsos dijudicassemus, haud quaquam iudicati fuissimus. Tametsi enim dominus antea placatus receperat, se non euersurum gentem Israel, nilominus tamen uoluit ut magistratus sue uocationi satisficeret, & legitimam poenam peccatoribus ad aliorum

HOMILIA DECIMA QVARTA

exemplum inferre, quo iustam haberet causam sui sup-  
plicij remittendi. Ceterum quod post perpetratam  
eodem Mose ad Leuitas ait, multo crudelius sonat,  
Sic enim inquit.

Consecratis manus vestras hodie domino.  
Vnusquisq; in filio & fratre suo vt detur uobis  
benedictio.

Quid hoc? Num fratres & filios occidere, est ma-  
nus suas consecrare domino? Num cede paratur be-  
nedictio (hoc est) ministerium sacerdotale & Leuiti-  
cum quae fuerunt in Israel officia sanctissima? Certe  
si papisticos canones obseruaueris, audies. Quicumq;  
uel saltem iudicium sanguinis pronunciauerit is ma-  
nus suas ita prophanauit, ita sordidauit, ut sacerdo-  
tio indignus sit. Cur ergo Mose, ait. Leuitas caedibus  
manus suas ad sacerdotium & officium Leuiticum  
consecrasse? Respondeo, Mose, non fuit Papista, & for-  
tassis ignorauit canones papisticos, sed fuit diuinus  
Propheta, qui licet ignorauerit canones papisticos  
non tamen ignorauit uerbum domini, Ex quo intelli-  
git, quod qui super pauca fidelis est, super multa con-  
stituitur, Itaq; cum Leuitae fideliter iussa domini in  
occidendis uel filijs uel fratribus suis executi fuissent,  
promittit eis consecrationem & benedictionem, hoc  
est mini-

IOANNIS BRENTII.

est ministeria Leuitica & sacerdotalia longe omnium san-  
ctissima. Vnde & iam moriturus de Leui ait, Qui di-  
xit patri suo & matri suae nescio uos, & fratribus  
suis, ignore illos, & nescierunt filios suos hi seruaue-  
runt eloquium tuum & pactum tuum custodierunt,  
hi docebunt Iacob iudicia tua, & Israel legem tuam.  
Ceterum quod Mose Leuitis praecipit. hoc idem no-  
bis prout uocatio nostra requirit, praecipit esse in-  
telligamus. Quicumq; est domini, cui ex fide displicet  
uitulinus superstitionum papisticarum cultus, &  
cui allubescat ueritas Euangelij, adiungat sese ad Mo-  
sen, uidelicet ad legem Dei, & accingat sese gladio  
spiritus, qui est uerbum domini, atq; accinctus tran-  
seat per medium castrorum, et occidat quoslibet obuios  
siue fratres siue filios, siue amicos, non quidem lato-  
rum, sed Christianorum more, qui tunc filios & fra-  
tres suos occidere dicuntur, cum ita affectum suum  
quem erga filios aut fratres habent abdicauerint ut  
propter ipsos non deficiant a domino, nec uerbum eius  
abnegent, sed potius omnia quantumcumq; carissima  
relinquant, quam ut dominum relinquant. Sic Chris-  
tus inquit. Qui amauerit patrem aut matrem supra  
me, non est me dignus, & qui amauerit filium aut fi-  
liam supra me, non est me dignus. Et rursus, Si quis ue-  
nit ad me, nec odit patrem suum ac matrem, & uxo-  
rem & filios, & fratres & sorores, praeterea autem  
& ant

HOMILIA DECIMA QVARTA.

Et animam suam, non potest meus esse discipulus.  
Huc etiam uocat nos diuinus spiritus in Psalmo qua-  
dragesimo quinto. Audi, inquit, filia, et uide et meli-  
na aurem tuam, et obliuiscere populum tuum, et  
domum patris tui, et concupiscet rex, decorem tuum.  
Etenim qui ita patris aut amicorum suorum obliuisci-  
tur, ut malit, DOMINI uerbo obedire, quam impie-  
tatem parentum aut amicorum suorum sectari. is ma-  
nus suas in sanguine consanguineorum ita consecrat,  
ut dignus illo sacerdotio efficiatur, de quo Petrus ait.  
Vos estis genus electum, regale sacerdotium, et gens  
sancta.

Proinde dilectissimi, accingamus nos gladio spiri-  
tus, et abdicatis carnis aut cognationis nostrae affecti-  
bus. Impietatem et superstitionem auctorum sa-  
crorum fugamus, ueram autem pietatem ex-  
fide sectemur, ut Deo consecrati, bene-  
dictionem perpetuae salutis consequamur, per Christum Iesum domi-  
num nostrum, qui est Deus  
laudandus in secula

A M E N.

Histo

HISTORIA

QVARTA DE COTURNICIBVS

NUMERI. CAP. II.

HOMILIA DECIMA QVINTA.

NON VNA CALAMITATE, DILEC-  
tissimi, hisce temporibus affligimur, Sed multa si-  
mul mala nos obruunt. Etenim praeter Turcos incur-  
sus, premimur etiam fame, et peregrina atq; hacte-  
nus ignota peste, qua uocant Anglicam. Accedit ad haec  
ingens aduersariorum nostrorum in nos insultatio, et  
gloriatio de Caesaris aduentu, quem illi minantur no-  
bis crudelissimum tyrannum, propter Euangelij profes-  
sionem fore, quam tamen crudelitatem et tyrannidem nos  
a clementissimo principe, Cesare nostro, longissime  
abesse iam dudum multis argumentis cognouimus.  
Atq; adeo, quod Propheta inquit, Gladius foris, Pestic  
et fames intrinsecus, nos (O miseras, o calamitates) iam  
re ipsa experimur et sentimus. Postquam igitur absolui-  
mus tertiam historiam de cultu nituli aurei ab Aberone fa-  
bricati, in qua similiter, ut in precedentibus, ira et mi-  
sericordiae diuinae exemplar nobis propositum est, tracta-  
bimus nunc quantum diuina clementia precibus uestris con-  
ciliata nobis contulerit, quartam historiam, quae argumentis  
famis, et rerum penuriae, qua nunc laboramus, constat esse

HOMILIA DECIMAQVINTA

Scripta est in quarto Mosi libro, quem numerorum  
uocant, capite undecimo. Describitur autem in ea  
murmur & fremitus populi propter carnum dese-  
ctum, describitur & ira Dei, & poena murmuris. Ete-  
nim cum Israhelita itinere trium dierum, a monte Si-  
nai ubi legem acceperant in deserto profecti erant, in-  
dignantur & fremunt inter se, propter omnium re-  
rum, præter Manna, penuriam, & uulgatum illud in  
ipsis uerum comprobatur Fames & mora bilem in-  
uasum conciuunt. Concitatur igitur dominus ad uehe-  
mentem iracundiam, & quamquam largiatur impo-  
tunis, ne quid grauius dicam, interpellatoribus carnes,  
tamen gaauissimo eos supplitio postea affecit. Princi-  
pio autem, ne existimetis hanc historiam ad nos nihil  
pertinere, indicabimus ex scriptura sacra, q̄ potissi-  
mum propter nos & in nostri doctrinam conscripta  
sit. Psalmus enim, qui iuxta nostram rationem septua-  
gesimus septimus habetur commemorat, DOMINVM  
iuratasse testimonium in Jacob, & legem posuisse in  
Israhel, adeoq̄ multa miracula perfecisse, ut patres  
ea nota faciãt filijs suis, ut cognoscat generatio alie-  
ra, & ut filij qui exurgent, & uasantur, filijs quoq̄  
suis enarrent. Post multa autem miracula etiam illud  
quod continetur in hac historia ita recensetur. Trans-  
tulit austrum de coelo, induxit inuirtute sua Aphria-  
cum. Et pluit super eos sicut puluerem, carnes, &  
sicut aream

IOANNIS BRENTII.

sicut arenam maris, uolatilia pennata, Et ceciderunt  
in medio castrorum eius, arca tabernacula eorum.  
Et manducauerunt, & saturati sunt nimis & desi-  
derium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desi-  
derio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum  
& ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eo-  
rum & electos Israhel impediuit.

Quid obsecro sibi uult spiritus sanctus, quod tot  
uerbis eam historiam referat & in memoriam reuo-  
cet, que tamen ante multos annos peracta est? nimi-  
rum hoc sibi uult, quod initio Psalmi scribitur. Ut qui  
audiant, ponant in Deo spem suam, & non obliuiscan-  
tur operum eius, & mandata eius exquirant. Ne  
siant sicut patres eorum generatio praua & exaspè-  
rans. Audiamus & paulum Apostolum hanc histo-  
riam nobis commendantem, sic enim in priori ad  
Corinthios Epistola capite decimo, inquit. Neque  
murmuretis, sicut quidam illorum murmurauerunt,  
& interempti sunt ab extinctore Quibus sane uer-  
bis Paulus hanc historiam in hoc proponit, ut ex ipsa,  
in fame & rerum penuria, patientiam discamus,  
& fidutiam nostram in bonitatem Dei confirmemus.  
Res autem ex ordine sic gesta est.

Vulgus promiscuum quod ascenderat cum  
Israhelitis flagrauit desiderio carnum, sedens &  
flens, iunctis sibi pariter filijs Israhel & ait.  
L. Quis

HOMILIA DECIMA QVINTA.

Quis dabit nobis ad vescendum carnes & recodamur piscium, quos commedebamus in Aegypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porraq; et cepe & alia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt, oculi nostri preter Man.

Quod dicunt, hanc habet sententiam. Quousq; tandem abutuntur patientia nostra, duces nostri, quamdiu nos imposturis suis eludent? promiserunt nobis terram lacte & melle fluentem, sed eae, nec carnes nobis exhibentur, polliciti sunt nobis omnium rerum benedictionem Sed eae omnium rerum penuria laboramus, Quarum rerum copia nobis in Aegypto gratis obuia erat, illas nec precio in hoc deserto comparare licet. Nihil praec oculis nostris habemus praeter uilissimum illud Man. Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris Bdellij. porro. Bdellium, alij lapidis genus esse scribunt, quod nunc in carbunculum, nunc in cristallum transferunt, alij arborem in Baetiana nigram, magnitudine oleae, folio roboris, fructu capisfrici, naturaq; gummi translucidi, instar cere. Hinc apparet, Man fuisse translucidum, quasi cristallus.

Circuibat igitur populus et colligens illud, frangebatur mola, siue terebatur in mortario faciens eis tota

IOANNIS BRENTII.

eis tortulas sapore panis oleati. Cunctq; descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Man.

Atq; hunc cibum, de caelo missum. Israhelitz per se, ac fastidientes, Aegyptiacas delicias afflectabant. Quid ingratius, quid iniquius hoc populo dici potest? In Aegypto fastidiebant carnes & pepones. Nunc in deserto fastidiunt Manna. in Aegypto ingemiscunt & murmurant sub seruitute. in deserto murmurant & fremunt in libertate. Hic mihi obsecro uide sceleratam humani ingenij naturam. Et si enim Deus prudentissimus omnium rerum administrator sit, & unicuiq; hominum tantum beneficiorum & donorum conferat, quantum pro suo commodo satis est, Semper tamen humanum ingenium querulum est, semper Deum inuide & inique dispensacionis accusat, & nunquam sua sorte contentum uiuit. Si prosper rerum successus affulgeat, praesentem foelicitatem fastidit, beneficijs Dei summa ingratitude abutitur, & quemadmodum canis quicquid exceperit protinus deuorat, & semper ad spem futuri biat, ita quod Deus homini proiecit id sine ulla uoluptate demittit, statim ad rapinam alterius erectus si aduersa acciderint, murmurat, fremit, & animum despondet.

Hanc humani ingenij malitiam, manifestis factis

L ij produit

HOMILIA DECIMAQVINTA.

produnt Iſrahelita. Nam cum in deſerto fame premē-  
rentur & nihil præter Manna haberent, quod ad ſu-  
bum a comodum eſſet, non contenti beneficio Dei ad  
Ægyptiacas delicias ſubinde reſpectabant, immemo-  
res prioris captiuitatis & præſentis libertatis. Po-  
ſtea uero quam contigiffet eis omnium rerum felici-  
tas, mirum quanta ingratitude, quanto contemptu  
quanto ſiſtudio donis Dei præſentibus abutebantur.  
Id quod ſatis perſpicue Moſe iudicat dum in cantico  
ſuo dicit. Dominus Iſraelem conſtituit ſuper excel-  
ſam terram ut comederet fructus agrorum ut ſuge-  
ret mel de petra, oleumq; de ſaxo duriffimo. Incras-  
ſatus eſt dilectus & recalcitrauit. incraſſatus, impin-  
gnatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum,  
& reſceſſit a Deo ſalutari ſuo.

Non ſolum autem in hoc populo, uerum etiam in  
nobis, qui hoc ſeculo uiuimus perueriffima, & inſo-  
lentiffima humani ingenij natura ſeſe exerit. Etenim  
cum DOMINVS Deus hoc anno nobis triticum ali-  
quatenus humiditate corruptum, & uinum frigore  
uiciatum dederit, quibus & ſi non uoluptati, tamen  
neceſſitati ſatisfit, quas obſecro gratias pro hoc Man-  
na, referimus? nimirum nullas alias quam indigna-  
tiones, Impacientias, murmura, fremitus, & deſpera-  
tiones, adeoq; prope nobis illa ipſa Iſrahelitarum  
uerba excidunt. Anima noſtra iam nauſecat ſuper di-  
be iſt

IOANNIS BRENTII.

ho iſto leuiſſimo. Alius cum Deo non ueretur expoſtu-  
lare, quid ita hiſce temporibus, tam uarijs calamitati-  
bus ſimul nos afficiat? alius in Euangelij prædicatio-  
nem culpam reiicit, dicens, nullam unquam rerum  
tranquillitatem in noſtris regionibus fuiſſe, quamdiu  
noua hæc religio. (ſic enim Euangelion uocant) pa-  
lam prædicata ſit, alius animum ſuum proſus de-  
ſpondet nunquam fore credens, ut iterum felici ali-  
quando rerum ſucceſſu fruamur, alius mendacij ar-  
guit promiſſiones Dei, qui ſeipſum nobis largum ne-  
ceſſariarum rerum diſpensatorem fore pollicitus ſit,  
at tamen uix panem ex auena, aut glandibus piſtum  
exhibeat. Huc enim multos nunc fames cogit ut panem  
e glandibus piſta ueſcantur.

Ceterum, nec hac tantum parte aduerſus Manna  
diuinum ingrati ſumus, ſed tota pene uita noſtra  
aliud non eſt, quam ſumma ingratitude & fremebun-  
da aduerſus deum ſeditio, quicquid enim et corpore  
& animo donorum poſſidemus Manna eſt, hoc eſt, be-  
neficii Dei gratuitum, non noſtrum meritum. De-  
dit dominus unicuiq; facultatulam, ſi non ampliſſi-  
mam, arte me diocrem. ſi nullam, dedit ſaltem ſanita-  
tem. ſi nec illam, certe aliud beneficium confert Deus,  
quo quis adiuuatur. Sed quotuſquiſq; eſt, qui ſuo do-  
no contentus uiuit? quis non ſaſtedit Manna & car-  
nes flagitat? Si cui Deus ſolam dedit corporis ſanita-

HOMILIA DECIMAQVINTA.

tem, ambit etiamnum diuicias, si cui mediocres diuicia collatae sunt, ambit amplissimas. Si haec contigerunt, affectantur principatus & regna, atque adeo quo plura quis habet, eo ampliora cupit, quid hoc aliud est, quam manna celeste fastidire, & carnes Aegyptiacas desiderare? Quid faciat dominus? Si nihil aut pauca nobis contulerit, contemnimus. Si ampla, negligimus, & maiora cupimus. Quae sunt obsecro haec studia? qui mores? qui homines? quod sortem nostram nunquam contenti simus.

Certe alios induamus mores oportet, alia sectemur studia, necessum est. Etenim si dominus dederit nobis Manna, hoc est, exiguum licet beneficium, necessitati tamen sufficiens, ex fide & gratitudine suscipiendum est. Tunc autem ex fide suscipimus cum agnoscamus nos omnium Dei beneficiorum indignissimos esse, & sola Dei clementia ac misericordia nobis contingere quicquid beneficiorum contingit. Nam si nostram dignitatem & merita respiciamus, ne splendore quidem huius solis, nec aere, quo spiramus, pro quo etiam nunquam adhuc satis iustas gratias egimus, digni sumus, tantum abest, ut alia Dei beneficia nobis iure exhibeantur. Et si Deus iniquitates nostras obseruauerit, profecto debebit nobis pro solis splendore, ignem infernum, pro manna fulmina, pro potu sulphur & picem. Haec sunt merita nostra, haec dignitas

146.

IOANNIS BRENTII.

tas. Quanto autem maior est indignitas nostra, tanto maior est clementia & misericordia Dei per Iesum Christum. Ergo ex fide beneficia Dei excipimus. Si non nostris meritis sed diuinae clementiae per Iesum Christum ea accepta serimus, Grati uero tunc erimus, cum beneficijs diuinis, iuxta praescriptum Dei, recte utimur, & diuinae uocationi obsequimur.

Itaque agnoscamus nostram indignitatem, & quae Deus nobis beneficia quantumuis exigua largitur, grata animi fide suscipiamus, in memoriam reuocantes quod Christus dixit, super pauca fuisti

fidelis, super multa te constituam. Sic enim fiet, ut dominus Deus noster, gratitudine nostra inuitatus, maiora

subinde nobis beneficia conferat per Iesum Christum dominum nostrum, qui est Deus laudandus in secula, Amen.

L iij

Quae

HOMILIA DECIMASEXTA

**Q**VAE in historia de fastidio Mannae & concupiscentia carniū sequuntur, non omnia quidem, sed quae nostro argumento apta sunt, paucis nunc perstringemus. Nam cum Israelitae ob rerum penuriam aduersus Moſen fremerent, & carnes flagitarent, audiuit Moſen flentem populum per familias singulas, per ostia tentorij sui.

Iratusq; est furor domini ualde, sed & Moſi intoleranda res uisa est, & ait ad dominum. Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus uniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, uel genui eam, ut dicas mihi porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum? Unde mihi carnes ut dem tantę multitudinis? Flent coram me dicentes, da nobis carnes ut comedamus, Non possum solus sustinere omnem hunc populum quia grauis est mihi. Sin aliter tibi uidetur, obsecro ut interficias me & inueniam gratiam in oculis tuis ne tantis afficiar malis.

Paucis uerbis Moſe multa simul explicat. Principio indicat quanta debeat esse boni magistratus sollicitudo

IOANNIS BRENTII.

in administranda rep. Nam cum dominus ait. Porta in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum suum, quid aliud significat, quam quod magistratus populo suo debeat esse, uelut nutrix. Pater. Pastor. Quanta obsecro cura nutrix fetum suum educat? quanta diligentia prospicit, ne quid aduersum ei accidat? Quanta sollicitudine pater filium suum enutrit? quanto labore pastor gregem suum custodit? tantam curam, diligentiam, sollicitudinem, & laborem debet bonus magistratus subditis suis.

Deinde ostendit, quam insolens, quam molestus interpellator sit uulgo in rebus aduersis. Si hostes imminet, a magistratu opem exposcunt, Si fames torquet, a magistratu frumenta postulant. Si pestis seuiat, magistratum corporis incusat, quod urbem a sordibus non purgauerit, Si aquarum inundatio detrimentum dederit, in magistratum culpam reiciunt, quod aggeres neglexerit, deniq; quicquid uel periculi imminet, ad magistratus curam reicitur, uel detrimenti accipitur, in magistratum culpa transfertur, cogiturq; magistratus, nunc esse bellator, nunc lauius, nunc frumentarius, nunc pistor, nunc medicus, & quicquid est sordidissimarum functionum. Sic enim Moſe de uulgo suo conqueritur, flent coram me (inquit) & dicunt, da nobis carnes, ut comedamus, scilicet cum sim dux eorum, cupiunt ut etiam sim ipso-

HOMILIA DECIMASEXTA.

rum lanius imo hortulanum quoque in me querunt, postulant ut cucumeres, pepones, æpas et alia depromā.

Postremo, suo exemplo prodit, qualis sit affectus prudentum uirorum, qui magistratu funguntur. Aut enim consortes imperij, quibus cum curas suas cōmunent mirum in modum affectant aut si necesse habent soli imperare, mallent mortem, quam imperium. Tam graue onus est reip. administratio. Non possum (inquit Mose) solus sustinere omnem hunc populum, Quod si nolueris mihi collegas dare, rogo interficias me. Malo enim semel cadere, quam semper pendere, malo semel, quam semper mori. Nunc enim toties in mortis discrimine uersor, quoties uulgum meum, aut itineris aut Mannæ tedet, quoties carnes defunt, quoties aqua deficit, quoties hostis bellum minatur. An non optabilior mihi esset repentina quam perpetua mors? Cum igitur in Mose uideas qualis sit affectus prudentum uirorum, qui in administratione reip. uersantur, quæ obsecro, te dementia cepit, ut publica officia, consulatus, præfecturas et imperia affectes? quæ est illa tanta cæcitas ut ambiendo præfecturas, non animaduertas te onus potius grauissimum, quàm honorem clarissimum ambire?

Sed hæc nunc a nostro instituto aliena sunt. Reuertamur ad ea quæ nobis hisce famis temporibus conueniunt Dominus enim deus noster, in hoc nõ indulget affectui Mosi, ut ipsum interficiat quæadmodum postulat Mo-

IOANNIS BRENTII

se, sed primū cōcedit ipsi, ut septuaginta senatores collegas sibi cooptet, qui cōmunicato spiritu eius cū ip- sis, una cū eo populo Israel præsent, Deinde promittit se daturum carnes populo. Sic enim ait, populo dices

Sanctificamini, cras comedetis carnes, peruenit enim fletus uester ad aures domini, qui dicebatis. Quis dabit nobis carnes ad uescendum. Bene nobis erat in Aegypto. Idcirco dabit uobis dominus ut uescamini, non vno die, nec duabus nec quinque, nec decem, et nec viginti, Sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares uestras, et uertatur in nauseam, eo quod repulcritis dominum, qui in medio uestri est, et fleueritis coram Deo dicentes. Quare egressi sumus ex Aegypto ut periremus in solitudine?

Quid obsecro hoc rei est, quod deus impios et ingratos murmuratores exaudit? Merebatur populus ille, nõ carnes, sed cruces, sed fulmina, sed ignes infernales. Quid ergo sibi uult deus, quod murmura exaudit, et carnes murmuratoribus promittit, cū alioquin nec preces impiorum exaudit?

Tametsi hoc exemplo, clementia diuina pijs et credentibus commendatur, tamen quantum attinet ad impios murmuratores, promissio carnum non est clementiæ Dei, sed indignationis eius, non est beneficij, sed supplicij, donec exeat, (inquit) per nares uestras et uertatur in nauseam. Et postea. Adhuc

HOMILIA DECIMASEXTA.

carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi abus, & ecce furor domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Nam quemadmodum Deus tradit impios in cupiditates cordis sui, ut pro sua uoluntate agant, quod libet, & sic seipsum perdant, ita exaudit desideria & murmura impiorum, & quod illi affectant, largitur ipsis, non ut beneficiat, sed ut male affligat eos. Plantasti (inquit Hieremias) eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum. Hoc enim affectant impij, & Deus ipsis concedit, sed quid sequitur? Congrega eos quasi gregem ad uictimam, et sanctifica eos in die occisionis. Ideo enim Deus uotis impiorum satisfacit, ut ipsos perdat, ideo beneficit ut maleficiat, Et Psalmus de impijs ait, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, sed sequitur, Verumtamen propter dolos posuisti eis, deicisti eos dum alleuarentur.

Itaque amissimi, non indignemur, non male de clementia Dei suspicemur, etiam si non statim Deus uotis nostris satisfaciat, sed interpretemur Dei beneficium esse. Siquidem quid oraturi simus, quemadmodum Paulus ait, ut oportet, non nouimus, uerum ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. At ille qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus quando secundum Deum intercedit pro sanctis.

Igitur

IOANNIS BRENTII.

Igitur, si nostri desiderij compotes facti non sumus, existimemus Deum quidem nos exaudisse, non autem secundum sensum carnis nostre, iuxta quem, si nos exaudisset, potius maleficio, sicut murmuratores Israelitae, quam beneficio affecti essemus. Sed secundum sensum spiritus qui pro nobis secundum Deum intercessit. Ceterum, cum Mose promissionem Dei de carne exhibenda accepisset, humani captus ingenium prodit, & ait ad dominum.

Sexcenta milia peditum huius populi sunt, & tu dicis, dabo eis esum carniuum, mense integro? nunquid ouium & bouum multitudo egerit ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur ut eos faciant?

Audis uerba humani ingenij, quod promissa Dei non exigit ad mirabilem & inscrutabilem eius potentiam, sed ad communem rerum naturae cursum & ordinationem. Simile est quod Philippus Christo respondet, ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis ut unusquisque pusillum quippiam accipiat. Et alias discipuli unde nobis in solitudine panes tanti multi, ut saturemus turbam tantam? Sed audit uerbum eius a domino.

Nunquid

HOMILIA DECIMASEXTA.

Nunquid manus domini inualida esse iam nunc videbis vtrum meus sermo opere completur. Ventus ergo egrediens a DOMINO arreptas trans mare coturnices detulit et dimisit in castra, itinere quantum vno die confici potest, & omni parte castrorum per circuitu, volabantq; in aere duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto die illo et nocte, ac die altero, congregauit coturnicum multitudinem, qui parum decem coros, & expanderunt eas per gyrum castrorum.

Qui tractant Physica, de coturnicibus ita scribunt Aduolant ha transmare, non sine periculo nauigantium cum appropinquare terris. Cocunt enim ateruatim, deinde globata uehementius properant Quia festinatione accidit, ut plerumq; noctu in uela incidant, & impulsis simibus alueos inuertant. Austro nunquam exeunt. Nam metunt uim status humidioris, aura tamen uehi uolunt, propter pondus corporis, uiresq; paruas. Aquilone ergo maxime uolant, ut corpora pinguiuscula atque ea tarda, facilius prouehat sicciore & uehementiore spiritus. Aquilone, scribunt Physici, non austro uolant coturnices transmare. Vt igitur manifestum fieret Dei miraculum uento Austro & Aphrico, qui est Aquilone

IONNIS BRENTII.

lioni contrarius delatae sunt coturnices in castra Israelitarum. Transsulit (inquit Psalmus) Austrum de caelo, induxit in uirtute sua Aphricum, & pluit super eos, sicut puluerem, carnes. & sicut arenam maris, uolatilia pennata.

Porro hoc miraculo impijs Israelitis non deliciae ut ipsi putabant, sed exicium & lues illata est. Cum enim auarissime uorarent, & carnes adhuc erant in dentibus eorum, eorum furor domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis. Multi enim subita peste obierunt, & uocatus est locus, Sepulchra concupiscentiae, ad posteritatis monumentum, ut quotquot audiant loci nomen admoncantur rerum illic gestarum & discant primum grati esse, ac paruo illo contenti, quod dominus misericordia sua clementer largitus est, cogitantes, se nec paruum illud qualecunque sit, meritos, nec unquam pro illo satis dignas & sufficientes egisse gratias.

Deinde ut abundantiam rerum benedictione, non abutamur uoracitate & in glumie, sed prelestimus in ea gratam sobrietatem & modestam temperantiam. Nam quod etiam nostra aetate fere usu uenire solet, ut plerumq; ingentem famem sequatur ingens pestis, et ut uocant, mortalitas, puto ex hoc loco uera eius ratione constare. Etenim sicut Israelite in fame infideliter murmurata

HOMILIA DECIMASEXTA

murmurabant, in coturnicum abundantia, pro more porcorum uorabant, ita nostro seculo fieri solet, ut famis tempore frematur & murmuretur. Postquam uero redit rerum uilitas, tum mirum in modum uoratur & genio indulgetur. Itaque fit ut cum adhuc esca sint in dentibus nostris, furor domini aduersus nos concitetur, & peste ac mortalitate nos affligat.

Quamquam autem coturnicum multitudo Israelitis non uoluptates, sed pestes attulit, tamen qui per fidem in clemenciam Dei per Iesum Christum, spiritu sancto donati sunt, hi miram & inperscrutabilem Dei bonitatem ac misericordiam ex hoc miraculo colligunt. Si enim dominus murmuratores exaudit, & desiderio eorum satisfacit, quid faceret pijs & gratis precatoribus? Est sane, quod miraculum diuinum de coturnicibus male cedat impijs. Israelitis, nihilominus tamen DOMINVS hoc miraculo uoluit ueritatem fidei sue pijs testari, & commendare, ut promissionibus eius constanter crederent, & de exaudicione precum ipsorum optime considerent. Torquemur nunc fame, omniumque ferme rerum penuria, Quid ergo nobis faciendum est? num exemplo Israelitarum murmurandum? at Paulus dicit. Ne murmuretis, sicut & quidam illorum murmurauerunt, & interempti sunt ab extinctore. Num fastidire licet Manna nostrum (hoc est) panes ex aena & glandibus

IOANNIS BRENTII.

glandibus pistos, quibus multi pre paupertate uescuntur? at tali ingratitude concitatur furor domini, ut ex ardeat indignatio eius, & nos multo grauius affligat.

Quid igitur agendum est? Agnoscenda est nostra iniquitas, confitendum est, nos propter iniusticiam nostram, non solum famem illam, uerum etiam mortem & infernum meritos esse. Deinde credendum est, quod propter Iesum Christum nobis remissa sunt peccata nostra, & propter illum propitium habemus patrem in caelis, qui nobis uocationem eius sequentibus omnem rerum benedictionem, qua opus habemus, abundanter largiri uelit. Nec est quod de eius uoluntate dubites. Manifestauit enim uoluntatem suam promissionibus. & consignauit eam miraculis. Nonne spiritus sanctus de Deo patre nostro ita predicat? Satiat animam inanem & animam esurientem satiat bonis? & iterum. Replentur, qui pro panibus se locauerunt & famelici saturantur. Quid haec aliud sunt quam promissiones diuinae, quibus Deus seipsum obstringit fore famelicorum enutritorem. Et cum Christus iubet ut oremus pro pane quotidiano, nonne eo ipso, nomine Dei, panem quotidianum pollicetur? Qui aperit manum suam & implet omne animal benedictione, non daret is esam timentibus ipsum? Quod enim iuxta promissionem

HOMILIA DECIMASEXTA.

tionem suam uelit escam esurientibus dare, compro-  
bavit etiamnum miraculis ueluti certissimis sigillis.

Cum Israelitæ ex Aegypto ad desertum proficis-  
cerentur, dedit eis miraculo quodam Manna, ut osten-  
deret, q̄ non in solo pane uiuit homo, sed in omni  
uerbo quod egreditur de ore domini. Ne enim gens  
uocationem diuinam sequens fame interiret, coactū  
fuit cælum frumenta pluere. Quid dicam de Helia  
quem corui ad torrentem Carith pauerunt quemad-  
modum legitur in priori Malachim libro capite de-  
cimo septimo? quo certe miraculo dominus mani-  
festissime declarat etiam Ferocissimas bestias necesse ha-  
bere ut credentes diuinis promissionibus pascant, tan-  
tum abest ut dominus eos fame perire sinat. Huc acci-  
dit quoq; uidua illa Sarephtana, cuius farina & ole-  
um usq; ad eum diem quo dominus pluuiam dedit,  
non defecerunt. Non abhorret & illud, quod Elias co-  
medit panem submerciū, et ambulauit in fortitudine  
abi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus  
usq; ad montem Dei Oreb.

In Euangelio quoq; iubemur uertere oculos ad uo-  
latilia cæli, et cognoscere lilia agri, ut bene speremus  
de patre cælesti, qui nouit, quid op̄is habeamus. Man-  
datur etiam ut primū queramus regnum Dei et iusti-  
tiam eius (hoc est) ut unusquisq; ex fide suam secte-  
tur uocationem. Apostolus quidem ut aduunciet res-

gnum

IOANNIS BRENTII.

gnum Dei, quod est, Euangelion, alius autē aliam uo-  
cationem exequatur, prout unūquemq; deus uocauit.  
tunc enim (inquit Christus) adijcientur hæc omnia uo-  
bis. Et quid illud est quod Christus in deserto quinq;  
panibus & duobus p̄sibus quinque mille uiros pa-  
uit, præter mulieres ac pueros? & postea septem  
panibus quater mille uiros?

Atq; hæc facta esse ad confirmandam fidem no-  
stram de diuina liberalitate, quam nobis Deus clemen-  
ter in fame exhibiturus est, testatur ipse Christus, dis-  
pulos suos, de imbecillitate fidei, arguens. Cum enim  
discipuli eius non sumpserant secum panes per obli-  
uionem, & de cibo solliciti erant, dixit Iesus. Quid cogitatis intra uos ipsos, o parū fidentes, quod panes non sumpseritis? Nondum intelligitis nec memoria tenetis quinq; illos panes cū homines essent quinque mille? neq; septem illos panes, cum homines essent quatuor mille? & quot sportas acceperitis?

Itaq; amissimi, quas Deus nobis de uictu promissiones dedit & miraculis suis consignauit certa fide reponamus, & fame nos tentante atq; ad desperationem sollicitante depromamus, ut primum uerbo domini in conscientia per fidem pasti, diuina clementia etiam corporalem uictum adsequamur. id quod procul dubio fiet, gratia & bonitate domini nostri Iesu Christi, qui est Deus laudandus in secula, Amen.

M ij Historia

# HISTORIA

QVINTA DE EXPLORATORIBVS

AD TERRAM CANAAN MISSIS

NUMERI 13. 14.

HO. DECIMA SEPTIMA.

**E**TSI VENT<sup>E</sup> RIVXTA PAROE<sup>E</sup>  
miam, improbus sit interpellator, ac difficile  
sit, ut ille ait, ad uentrem qui auribus careat, uerba  
facere, tamen quia t. eterno die, non sermonem ho-  
minum, sed sermonem Dei, uidelicet, promissiones  
diuinas de uictu caritati uestrae proposuimus, haud  
quaquam difficulter, quantum ex multitudine et alacri-  
tate uestra, qua nunc iterum ad audiendum uerbum  
Dei conuenistis, conijcere licet, eas admistis. Sed  
multo, ut intelligo, promptius eas excepistis, quam si  
quis uobis e diuite quopiam poenu magnam frumen-  
torum uim deprompsisset, Nec mirum, Quid enim  
diuinae promissiones de uictu aliud sunt, quam omnis  
um rerum necessariorum thesaurus e diuino poenu  
depromptus, quo in fame & poenu, uice panis &  
deliciarum uti licet ut cognobile fiat hominem non in  
solo pane, sed in omni uerbo quod egreditur de ore  
dominis

IOANNIS BRENTII.

domini, uiuere? Hic autem thesaurus celestis panis,  
non excipitur obuijs manibus, nec dentibus oris com-  
molitur, ut ad stomachum traiciatur, sed excipi-  
tur auribus, & fide in cor traicitur, Sic enim tra-  
iectus, efficit ut qui uerbo conditi sumus, etiam uerbo  
pascamur, quod ut maxime non solum stultum & ri-  
diculum dictu, sed etiam impossibile factu, huius se-  
culi prudentibus uidetur, a nobis tamen qui promissi-  
ones Dei, non ad humane rationis argumenta, sed ad  
potentissimam & efficacissimam Dei ueritatem exi-  
gimus, & prudentissimum dictu & maxime passi-  
bile, ac facillimum factu creditur. quippe quod Deus  
quantum ad hanc rem attinet, potentiam suam pa-  
lam ostentauit in Mose, Elia, & Christo, qui per qua-  
draginta dies ac noctes absq; uulgari cibo. solo Dei  
uerbo in uita conseruati sunt. facilitatem autem et uo-  
luntatem suam promissionibus declarauit.

Sed quia uerbo domini latrantem uentrem, ali-  
quatenus placauimus. tempus nunc est, ut etiam illo-  
rum formidini medeamur, quos a fide & confessione  
Euangelij deterrent mine ille grauissime, que his  
temporibus, nonine clementissimi Cesaris confite,  
aduersus eos qui uel profitentur, uel consententur E-  
uangelicam fidei doctrinam, sparguntur Ad hanc au-  
tem rem nobis oportunissima uidetur historia, que de  
exploratoribus ad terram Chanaan missis in libro  
M iij quem

OMILIA DECIMASEPTIMA.

quem uocant Numerorum, capite decimo tercio & decimo quarto conscripta est. Ex hac enim historia, nō uirum ex aliena insania, non solum imbecilles in fide animantur, uerum etiam uanissimi illi minarum iactatores ita perstringuntur, ut neesse habeant uanitatis suae pudere.

Priusquam aut ipsam historiam tractemus, auctoritatem eius pro more nostro ostendemus, ut sciamus eam in nostri doctrinam conscriptam esse. In Psalmo nonogesimo quarto ita legitur. Hodie si uocem eius audieritis nolite obdurare corda uestra. Sicut in irritatione secundū diem tentacionis in deserto. ubi tentauerunt me patres uestri, probauerunt & uiderunt opera mea. Et postea. Iuravi in ira mea si introibunt in requiem meam. Hoc autem iuramentum Dei, in hac historia nobis commemorabitur. Sic enim ait dominus. Vt uo ego sicut locuti estis audiente me, sic faciam uobis. In solitudine hac iacebunt cadauera uestra. Et quadraginta annis recipietis iniquitates uestras, & scietis ultionem meam. Ceterum quod & Psalmi exhortatio, & historia exploratorum ad nos maxime pertineant manifestissime testatur Epistola ad Hebræos, in qua ita scriptum inuenitur. Qua propter sicut dicit spiritus ille sanctus. Hodie si uocem eius audieritis ne obduretis corda uestra. Videte fratres, ne quando sit in ullo uestrū cor prauum obnoxium incre-

dulitati

IOANNIS BRENTII.

dulitati ut desciscat a deo ueniente, sed exhortemini uos inuicē quotidie quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex uobis induretur seductione peccati. Et additur postea, Metuamus igitur, ne quando derelicta promissione introeundi in requiem eius, uideatur alii quis ex uobis fuisse frustratus. Etenim nobis adnunciatum est quemadmodū et illis. Quid potuisset clarius dici? Quoad appellatur hodiernus dies (appellatur autē donec in hoc seculo uixerimus) monemur Israelitarū exemplo quo illi nuncio exploratorū territi, propter incredulitatem a terra promissa exclusi sunt, ut nullis minus a fidei profectu terreamur, sed constantes in ea pergamus donec uerā et perpetuam requiem asssequamur. Sic ergo habet Historia.

Profectus est populus de Hazeroth. et fixit tentoria in deserto paran. Ibiq; locus est DOMINVS ad Moisen dicens. Mitte uiros qui considerent terram Canaan quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus & principibus

Quod hoc loco scriptura comemorat, Deū ad Moisen dixisse, ut mittat uiros exploratores ad Canaan. In Deuteronomio capite primo scribitur. populum hoc efflagitasse, & dixisse. Mittamus uiros, qui considerent terrā et renunciēt per quod iter debeamus ascendere. et ad quas pergere ciuitates. Quomodo igitur

M iij con=

HOMILIA DECIMA SEPTIMA.

conueniunt? Certe scriptura non est sibi ipsi contra-  
ria, Proinde quantum ex collatione locorum, &  
euentu missionis exploratorum animaduerti potest,  
populus ex itinere non tam lassus, quam incredulus  
factus, substitit in deserto, & longius pergere noluit  
nisi mitterentur exploratores in terram Canaan a  
domino promissam qui compendiarium uiam, ad eam  
terram inuestigarent, & conditiones terre considera-  
rent. Fortassis (inquit) terra est sterilis & inhabita-  
bilis. Aut si est habitabilis, fortasse potenciores illic  
habitant incole, quam ut eos debellare queamus. Ex-  
ploremus igitur prius, quae sit promissae terrae conditio,  
& postea proficiscamur.

Atque hoc consilium apparet in specie esse prudenti-  
simum sed quia ex diffidentia & incredulitate  
oritur, impiissimum censendum est. Habebant enim illi  
promissionem diuinam quod Deus uelit ipsis dare ter-  
ram fluentem lacte & melle, quam pollicitus fuerat  
Patriarchis, & hoc iam multis miraculis confirmaue-  
rat. Illi autem neglecta hac promissione, carnalis in-  
dustriae consilio, importune et sediciose a Mose postu-  
lant, ut mittantur exploratores ad terram Canaan,  
scilicet melius sibi consulturi, si prius rationem pro-  
misse terrae cognitam habeant, quam si stupidam, ut  
putant, fidem diuinae promissioni adhibeant.

Eiusmodi plane ingenij & incredulitatis sunt,  
qui

IOANNIS BRENTII.

qui his temporibus Euangelij iusticiam complecti  
(hoc est) terram promissam ingredi recusant, nisi  
prius per legatos suos perspectum habeant, num E-  
uangelij fidem amplecti, per Caesarem, per sententiam  
& decreta comiciorum imperialium, per constitucio-  
nes conciliorum, per consensum doctissimorum &  
potentissimorum hominum liceat. Quae expectatio,  
quae exploratio, quid aliud est quam mera increduli-  
tas? Doctrina enim iustificationis fidei in Ihesum  
Christum aduersus opera & merita papisticae, do-  
ctrina serui arbitrij aduersus liberum arbitrium, do-  
ctrina de utraque specie sacramenti caenae dominicae, do-  
ctrina de usu caenae dominicae aduersus impietatem sa-  
crificij Missarum papisticarum, & doctrina de multis  
alijs rebus quas nunc longum esset enumerare, & sa-  
epe numero, compendio quodam caritati uestra ob-  
oculos posuimus, ipsissima & uerissima & certissima  
Euangelij doctrina est, id quod frequenter e sacris  
scripturis perspicue ostendimus. Euangelio autem sim-  
pliciter fides adhibenda est. Non est expectandus ul-  
lus regis & principis, quantumcumque potentis, consen-  
sus, non decreta Comiciorum, non constitutiones con-  
ciliorum, non doctissimorum hominum calculus. Si qui-  
dem Euangelion ita spiritu sancto, & diuinis oraculis  
confirmatum & obsignatum est, ut prorsus non ege-  
at, uel potentium uel doctorum uel prudentum huius

HOMILIA DECIMA SEPTIMA.

seculi calculo. Igitur qui non ante credunt Euangelia quam explorauerint, cuius animi sint primates, qui dicuntur Euangelio resistere, prorsus eiusdem impietatis sunt cum Israelitis, qui nolebant ingredi terram promissam, priusquam exploratam haberent fortitudinem et potentiam eorum qui in ea terra habitabant, et ipsos ab ingressu prohibebant. Et quod his contigit ut nunquam ingressi sint in requiem domini, sic enim scriptura uocat. ita illis continget, ut nec ueritatem Euangelij unquam amplectantur, nec perpetuam tranquillitatem unquam consequantur.

Sed redeamus ad id quod paulo ante proposuimus, ut concordiam diuinæ scripturæ ostendamus. Etenim cum Israelitæ Mosi obstrepent, et postularent, ut exploratores ad terram Canaan mitterentur, Quid faceret Mose? Sciebat quidem per se non esse malum, exploratores in hostium regionem mittere, at interim animaduvertebat incredulitatem populi, et quod futurum erat periculum ab exploratoribus, prospiciebat. Ad hæc, non erat tutum improbæ Israelitarum postulationi non indulgere, ne quod magistratus autoritate ad ministrandum erat, ipsi suo arbitrio et temerario ausu exequerentur. Refert igitur Mose causam ad Deum, num debeat postulato populi cedere, et exploratores emittere? Dominus autem Deus noster, uidens iniquitatem Israelitarum duriciem, annuit, quemad-

modum

IOANNIS BRENTII

modum hoc libro scribitur, ut Mose ipsis obsequatur, dicens, mitte uiros, qui considerent terram Canaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus ex principibus.

Dices autem, si imperia et infidelis fuit hæc postulatione, cur annuit DOMINVS? cur Mose consentit? Non enim sunt facienda mala, ut eueniant bona? Ut respondeam obseruandum est, neque Deum neque Mosen, impietati animi, sed postulationi rei per se indifferentis indulgisse. Tametsi enim animus Israelitarum in postulandis exploratoribus fuerit impius. tamen res ipsa non erat impia. Aliud est, si et animus et res impia fuerint. quemadmodum erat institutio uituli aurei, absente Mose facta, quam tantum abest ut Mose toleret, ut etiam grauissimo supplicio uindicet. Emittere autem exploratores suo iure natura indifferens est, et potest tam ex fide, quam ex infidelitate fieri. Unde etiam Iosue emittit exploratores ad urbem Iericho, non quod diffideret promissioni diuinæ, sed ut mandato Dei prudenter satisfaceret.

Igitur propter rei postulatione indifferentiam, annuit et deus et Mose seruus eius, ut exploratores ad terram Canaan mittantur. Boni enim et prudentis rei administratoris est, ut ea quæ de quæ suo iure natura mala sunt, seuerissime castiget, in rebus autem indifferentibus, et in ijs, quæ uolenter prohibita, minus malè excitant,

HOMILIA DECIMASEPTIMA.

excitant. duricie & improbitati populi nonnihil indulgeat, & legum suarum autoritate quicquid id est rei administret, nequod alioqui uix tolerabile est, Vulgus sua temeritate intolerabilius reddat. Hinc est, quod etiam Samuel obsecutus est Israelitis regem petentibus. Quanquam enim Israelitæ impio animo regem postulabant, tamen quia regem constituere, res erat lege diuina permessa. maluit Samuel diuina autoritate regem ordinare, quam uiolenta sua prohibitione, uulgo occasionem dare ut suoapte arbitrio & temeritate regem constituerent. Eandem prudentiam uidet in senioribus illis, qui consulebant Rehabeamo Salomonis filio, ut populo aliquantam oneris remissionem postulanti cederet. Sed quia Rehabeam maluit sequi iuniorum, quam seniorum consilium, maiorem regni partem amisit.

Ceterum quia prudentius est rem indifferentem quantumuis periculofam, publica autoritate administrare, quam administracionem eius, arbitrio & temeritati uulgi permittere. Ideo Mose mittit principes uiros duodecim, ad explorandam terram Canaan, et instituit eos quo proficiendum sit, & quid explorandum.

Ascendite, inquit, ad meridianam plagam, Cunque veneritis ad montes, considerate terram

IOANNIS BRENTII.

tam, qualis sit, & populum qui inhabitat, utrum fortis sit, an infirmus, pauci numero, an plures, ipsa terra bona, an mala, urbes quales, muratæ an absque muris, humus pinguis an sterilis, nemerosa, an absque arboribus. Confortamini & afferre nobis de fructibus terræ.

Erat autem tempus quando iam precoque uergerant. Cunque ascendissent, explorauerunt terram a deserto Sin, usque ad Rehab, in introitu ad Hamath, Ascenderuntque ad meridiem, & uenerunt in Hebron ubi erat Ahiman, Sefai & Thelmaj, filij Enack, Nam Hebron septem annis ante Zoan urbem Aegypti condita est, pergentes usque ad torrentem Escol absceiderunt palmitem cum uua sua quem portauerunt in fecte duo uiri, De malis quoque grauatis & de ficis tulerunt, Locus autem ille appellatus est torrens Escol, hoc est botri, eo quod filij Israel inde botrum portassent.

Vides exploratores imperata fecisse, et postquam ad Canaan ascendissent, inuenisse quidem iuxta diuinam promissionem terram lacte & melle fluentem in cuius rei argumentum secum attulisse palmitem cum uua sua, præterea mala granata, & ficus. sed præter illa inuenisse, quoque ibidem fortissimos tyrannos & bellicosissimos uiros, quorum potentia obstare uidebatur, ne Israelitæ ea regione potiri possent. Quibus rebus Euangelij ratio expressissime adumbratur.

MOMILIA DECIMASEPTIMA.

Etenim quæ Euangelion nobis, aut pollicetur, aut exhibet, ea uerissima & certissima sunt, multusq; in signis tum miraculis adeoq; ipsa rerum experientia comprobata, pollicetur enim nobis gratis remissionem peccatorum per Iesum Christum, eamq; per fidem exhibet, pollicetur uitam et tranquillitatem perpetuam in Christo Iesu, eamq; nunc per fidem ita præstat, ut suis temporibus reueletur, ostendat nobis botros, mala granata & ficus. hoc est, omnia genera benedictionum, quarum etiam copiosum fructum nobis exhibebit, si in cepto itinere per fidem pergamus.

Sed interim Euangelion persequuntur partim potentes, partim sapientes, partim sancti huius seculi. Hi sunt illi Enakim et tyranni qui terram Canaan occupant, et Israelitas ab ingressu prohibent, aut saltim remorantur, Etenim, cum Euangelion de Iesu Christo illud sit quod nobis gratis per Iesum Christum peccatorum remissionem promittit, et per fidem nos iustificatos coram Deo declarat, Potentes tamen huius seculi tyranni uolentia sua resistunt, ne hoc Euangelion palam et ingenuè annuncietur, et cogunt, quos possunt, ut Sophistarum et papistarum nugas, imo impietates demeritis operum, de sacrificio misse pro peccatis satisfactorio, deq; alijs imposturis amplectantur, interim tamen gloriantur se ecclesie catholice protectores et religionis Christiane defensores, (hoc est) occupant terram Canaan et Israelitas intrare cupientes excludunt. His accedunt sapientes

IONNIS BRENTII.

des huius seculi, qui sunt coram mundo sancti qui demerent, sed reuera impiissimi hypocrite. hi prestigijs suis & fucis scripturam sacram ad suam impietatem detorquent et operum merita iactant, operum iusticiam inculcant, alijsq; innumera aduersus Euangelion summa autoritate docent. Interim tamen maxime omnium uideri uolunt sese autoritatem Euangelij tueri, et pro Euangelio pugnare, quod quid aliud est, quam quod Christus dicit, clauem scientie tollere, aut regnum celorum ante homines claudere, et nec intrare nec ut aduenientes intrent.

Cum igitur manifeste cognoscamus, (permittere. qui sint illi qui terram nostram, Canaan tyrannide & hypocriti sua occupant, et nos ab ingressu prohibere semper conantur, agite dilectissimi, caueamus primum a fermento et doctrina phariseorum, ne hypocriti a ueritate seducamur. deinde, ne metuamus nobis ab his qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed metuamus potius illum, qui potest et animam & corpus perdere in Gehenna. Etenim si is passer culos ita curat ut unus ex illis non cadat in terram absq; ipsius administratione, et si pilos capitis nostri numerauit, quantomagis nec minimum uitæ nostræ momentum absq; clementi ipsius administratione quicquam discriminis aut damni ab aduersarijs accipiet, sed potius ad perpetuam felicitatem ab ipso tuti conseruabimur, in Christo Iesu domino nostro qui est Deus laudandus in secula. Amen.

Et si

HOMILIA DECIMA OCTAVA.

**E**TSI Mose, quemadmodum caritati uestre, amicissimi, in superiori concione demonstratum est, exploratores ad terram Canaan, iuxta Israelitarum postulata emisit, & quid sit, agendum ipsis auctoritate sua prescripserit, tamen & difficillimo & aegerimo animo, quicquid id erat eis indulsit. Malebat enim pius uir ut Israelitæ sola domini promissione confidentes, uocationem & ducatum diuinum simpliciter sequerentur, nullis exploratoribus emissis. Et timebat prudens princeps, ne si fama illi acciperent, fortitudinem ac giganteam molem eorum qui inhabitabant terram Canaan, & urbium munitiones, pusillanimes redderentur, atq; animum suum desponderent. Eæ autem, quod timuerat, euenit.

Reuersi enim exploratores terre, post quadraginta dies omni regione circuita, uenerunt ad Mosen, et Aheronem & ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Paran ad kades. Locutiq; eis & omni multitudini, ostenderunt fructus terre, & narrauerunt dicentes, Venimus ad terram, ad quam misistis nos, quæ reuera fuit lacte et melle, & ex his fructibus cognosci potest. Sed cultores fortissimos habet, & urbes grandes atq; muratas, Stirpem Enack uidimus ibi, Amelec habitat in meridie, Cananites, Jebusites, & Amonitæ in meridie.

IOANNIS BRENTII.

Cananites autem habitant iuxta mare et circa fluuenta Iordanis.

Hec cum illi ordine narrarent, et quid uidissent, referrent, uulgus arrectioribus auribus et intentiori animo aduertit, quod de inhabitatoribus, quam quod de fertilitate terre dicebatur. Prodeunte igitur sese paulatim incredulitate in uulgo, & gliscente sedicione aduersus Mosen. Caleb unus de duodecim exploratoribus, uir etiam testimonio dei laudatus, plenus fide, ad cæpescendam uiam hortatur.

Ascendamus, inquit, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.

Sed quo magis ille ad profectioem & expeditionem hortatur, eo magis alij exploratoresq; uorum erant decem increduli, (soli enim duo inter exploratores, uidelicet Iosue & Caleb ab alijs dissenciebant, & nihil territi fortitudine tyrannorum inhabitantium terram Canaan, in fide promissionis diuine perstabunt) a profectioe dehortantur, crepantes truculentissimos tyrannos, uastissimos gigantes, & horrenda nescio quæ uirorum monstra, dicentes.

Nequaquam ad hunc populum ualemus ascendere, quia fortior nobis est, Detraheruntq; terram

N huan

HOMILIA DECIMA OCTAVA.

quā inspexerant apud filios Israel terra (inquit) quā lustrauimus deuorat habitatores suos, populus quē aspeximus procerē staturæ est: ibi uidimus monstra quædā filiorū Enack de genere giganteo quibus cōparati quasi locustæ uis debamur.

Cur (inquiunt) exponeremus nos presentissimo periculo quod ne ope quidem Dei effugere possimus quippe qui temeritate tentatus, non solet ijs succurre re qui se suas sponte periculis obijciunt. Etenim quos in ea terra, ad quam explorandam nos misistis homines uidimus, & corpore uastissimi et proceritate longissimi sunt. Diceres, eos non homines sed monstra, sed portenta quædam. Vidimus illic Ahimam, Sesai, Thalmi, Enakim, Amelekitas, Hithitas, Iebusitas, populos etiam ipsis nominibus terribiles. Et ut dicamus, quod res est, tanto nos præcellunt illi corporis sui mole, quanto nos locustas præcellimus, ita nos iuxta illos stantes uix locustis similes eramus. Opinamur, eos esse ueteres illos gigantes, quos olim fuisse maiores nos fieri commemorauerunt. Qua igitur fiducia nos paucos innumerabiles, inermes, armatos, pigmæi Gigantes, effecti uiribus fortissimos, e sedibus suis expellere aut interficere, & regionem eorum occupare possemus? Insania est talia cogitare, nedum conari. Huc adædit. quod & si terra fertilis sit, quemadmodum frui

IOANNIS BRENTII.

Etis declarāt, tamen quantum nos pauco tempore experti sumus, aer eius regionis inclementior est, quam ut nos laturus sit, etiam si intrauerimus. Deuorat enim ea regio habitatores suos, & cum nec gigantibus illis, qui nunc inhabitant, parcat, quomodo nobis pygmæis parceret? Postremo muri urbium eius regionis ad cælum usq; exaltati sunt, quos quis superare et transcendere posset? uix oculis fastidium eorum comprehendere licet et scādēdo superaremus? Itaq; consultissimū nobis uidetur ut alio proficiscamur, & regionem illam Canaan suis monstris relinquamus.

Atq; hoc est nunciū, hæc est oratio, qua decē impij exploratores, Israëlē ab ingressu terræ Canaan deterrent. Principio autē hic mihi obserua, qui fuerint illi exploratores, ut agnoscas qui uerbo Domini minime omnium credant, et de uerbo Dei maxime omnium male sentiant ac loquatur. Erāt enim non priuati homines, nō e media plebis fece electi, sed duces tribuum, Sed principes Israelis, sed primo res populi. Sic enim scriptura superius cōmemorauit, Fecit Mose quod dominus imperauit mittens principes uiros. Principes, inquā, uiros, nō priuatos misit Mose ad explorandam terrā, qui soli ueri Israelitæ uidebantur, in quos gens Israelitica inclinata ueluti recumberet. Et hi principes pessime de terra Canaan, a domino promissa, loquuntur, nomen eius foetere faciunt, & Israhelem in desperationem conijciunt. Non igitur

HOMILIA DECIMA OCTAVA.

Non igitur mirum si & nostro seculo, qui uidentur reip. Christianæ columnæ et principes, non solum male de Euangelio sentiant ac loquantur, uerum etiam persequantur & extinctum cupiant.

Deinde clarissime nobis in his principibus, incredulitatis ingenium & natura adumbratur, quam multum prodest & inuat cognoscere ne incredulitatem interpretemur prudentiam & industriam. Hæc enim est incredulitatis natura, ut seposita & reiecta ex oculis mentis nostræ promissione diuina, sola humana, sola carnalia, sola externa ob oculos posita consideret, & secundum illa rerum euentus exigat. Id priusquam ostendamus in exploratoribus, non ineptum uidetur uno aut altero exemplo indicare.

In Esaia promittitur regi Abazo, nullum ipsi fore periculum a duobus regibus Syriæ & Israelis, modo confidat. promissioni recipit DOMINVS sese miraculum additurum, si rex petat. At ille incredulus contempta promissione diuina, imbecillitatem uirium suarum cum fortissimo duorum regum exercitu conferens, sola carnalia subinde respiciat. Itaque aduocat contra præceptum diuinum externa auxilia a regibus Assyriorum, prudentiam & industriam computans, quod erat maxima incredulitas qua etiam & se & regnum suum extremo exitio quod cauere uoluit, obiecit, iam a nobis uocationi nostræ seruientibus promittit

IOANNIS BRENTII.

mittit pater cœlestis, quantum satis est ad uictum, & panem ut dicitur, quotidianum. Si enim (inquit) Christus pater cœlestis pascat uolatilia cœli, quorum duo uno asse uentum, quanto magis pascat homines multis uolatilibus meliores? Qui autem incredulus est, negligit hanc Dei promissionem, & carnalia tantum secum colligit. Quid agam (inquit)? quo me uertam? unde nutriam tantam familiam? Sunt mihi uxor, liberi, & multa familia. tempus est, quo omnia carissime uentum. annus in longum profertur. Quid faciam? Extendam omnes meas merces carissime, decipiam imposturis meis emptores, quoquo modo possum, congregabo nummos per phas, per nephas, tantum ut habeam unde uiuam. Audin quo respiciat incredulitas? & quanta mala ex incredulitate oriuntur?

Idem plane infidelitatis ingenium, in exploratoribus relucet. Dominus enim promiserat & pepigerat fœdus cum Abrahamo dicens. Semini tuo dabo terram hanc a fluuio Aegypti usque ad fluium magnum Euphratem, uidelicet, Kenitas, Kinisitas, Kidmonitas, Hithitas, Pherisitas, Gigantes, Amorritas, Cananitas, Gergesitas, & Iebusitas, Exploratores autem increduli de terra ad quam missi erant reuertentes nullo huius promissionis respectu habito, in sola carnalia oculos dirigunt, uidelicet in multitudinem populi

HOMILIA DECIMAS OCTAVA.

inhabitantis terram promissam, in uires & fortitudinem eius, in urbes muris, optime munitas, praeterea in Israelis paucitatem, imbecillitatem, & manus exarmatas ac imbelles. Quas res cum illi coram Israelitis recensent, et omnia, ut solet incredulitas, exaggerando inculcarent, ne gry quidem de promissione Dei, de auxilio a Deo promisso commemorabant. Sic enim infidelitas promissionem Dei rejicit, & sola carnalia contemplatur ac meditatur.

Ceterum, quod ad nostram terram Canaan, hoc est ad ecclesiam Christi firmitatem, & ministerij praedicationis Euangelij stabilitatem attinet, habemus etiam nos, diuinas promissiones. *Supra petram*, inquit Christus (non supra petrum) edificabo ecclesiam meam, aduersus quam nec porta inferi praeualebunt. Et rursum. *Omnia plantatio*, quam plantauit pater meus caelestis non eradicabitur. Et iterum, *Eae ego uobiscum* sum usque ad consumacionem seculi. Rursus alibi. *Quare fremuerunt gentes et populi* meditati sunt inania. Et sequitur. *Qui habitat in caelis iridebit eos, & domini* subsannabit eos.

Tametsi autem tales ac tantas habeamus promissiones de firmitate negocij Euangelij, nostri tamen exploratores (hoc autem nomine uoco eos qui uolunt quidem uideri prudentes uiri, nihil tamen unquam aliud didicerant quam Caesarem maiestatem crepare, et

IOANNIS BRENTII.

re, & regionum ac etiam infantium adhuc in utero matrum existentium deuastacionem tonare. hoc est, proijcere ampullas et sesquipedalia uerba. hi inquam exploratores abiectis & contemptis omnibus Dei promissionibus, sola humana, solos fumos sibi ob oculos ponunt, fatentes ingenue multos quidem esse abusus in papistica religione, & ueram esse Euangelij praedicationem. Attamen non esse admittendum ut abusus tollantur, & Euangelion de Iesu Christo aduersus papisticas impietates libere praedicetur. Siquid imperatoria Maiestas (sic enim illi tonant) non est a quo animo latura, ut decreta sua uiolentur. Et plures ac potentiores principes & episcopi sunt qui Euangelio resistunt. Scilicet hi Gigantes & illi Enchyma sunt. praeter quibus illi qui ab Euangelio stant uix locuste uidentur. Itaque tot resistentibus fieri non potest ut Euangelij causa foelix incrementum habet & diucius constet. O impiissimam incredulitatem. Potentissimus omnium regum non potest alicui hominum uel pilum capitis citra uoluntatem patris nostri caelestis mouere, & Euangelij causa opprimeretur? Absque nutu Dei, principes nec spirant, & uerbum domini suis uiribus eradicarent? Quis obsecro tam deplorata mentis esse potest, qui haec in animum suum

Sed, ut quae sequuntur etiam quantum nunc induat? satis est explicemus, reuertamur ad exploratores Israelis. Cum

HOMILIA DECIMA OCTAUA.

Cum enim hi ex incredulitate sua fortitudinem inhabitantium in terra Canaan, & muros eius regionis supra ueri fidem exaggerarent, traxerunt secum in incredulitatem, pusillanimitatem, & desperationem, uniuersum populum Israel, Sic enim sequitur.

Vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & murmurauerunt contra Moysen & Aheronē cum filiis Israel, dicentes, Vtinā mortui essemus in Aegypto, & non in hac vasta solitudine. Vtinā pereamus, & non in ducat nos dominus in terrā istam, ne cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captiui, Nonne melius est ut reuertamur in Aegyptum? Dixeruntq; alter ad alterū, constituamus nobis ducē, & reuertemur in Aegyptum,

Atq; hæc ab Israelitis sermone iactantur cum ipsi nondum uidissent Gigantes, & muros, sed tantum fama ab exploratoribus acceperunt. Tam credula est incredulitas. In quorum sane uerborum sententia explicanda, non est, cur immemoremur. Hæ enim uoces quas nunc uulgus hæc nostra ætate, propter Cesaris aduentum ab exploratoribus nostris territus, spargit, plane, uelut commentarius quidam explicat, uerborum Israelis sententiam. Audiuimus enim multos multibriter lamentantes uociferari, Vtinam mortui essemus

IOANNIS BRENTII.

mus in cunabulis ante uiginti aut triginta annos. Vtinam uel nunc subitanea morte corriperemur, ut salutem non oculis nostris cerneremus tantam calamitatem, qua uxoribus & liberis nostris imminet. Nonne melius est ut reiecto prorsus nouo illo Euangelio, iterum uitam nostram, hoc est, papisticam religionem amplectamur? Missasq; abrogatas restauremus? quā ut tam crudeliter pereamus. Itaq; expulsis ijs qui Euangelion prædicant, constituamus nobis Sophistam quempiam, qui suis concionibus ueteres religionis nostri ritus reuocet. Quæso te, num omnium ouo tam simile est, quam ingenium nostri uulgi cum ingenio Israelitarum conuenit.

Quid igitur faciendum est? indulgendum ne murmuri & uociferationi uulgi? Minime omnium. Quod enim uidemus uiros quosdam piissimos inter Israelitas agere, hoc itidem inter nos fieri debet. Etenim posteaquam omnia indignatione, fremitu, murmure, stertibus, & uociferationibus in castris Israel plena erant, duo inter exploratores uiri piissimi, et in fide constantissimi, alter Caleb, alter Iosue, exurgunt, et uestimenta pro more gentis sue dirumpentes, grauissime insaniam uulgi increpant, & edocent non respiciendum esse in carnalia, in urbes & Gigantes terra Canaan, sed in spiritualia, in promissionem & auxilium Dei. Nunc enim Caleb ait.

HO MILIA DECIMA OCTAVA

Ascendamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam, facile est nobis, ut eam obtineamus, Siquidem dominus promisit, DOMINVS ante faciem nostram disjiciet omnes aduersarios nostros. Nunc Iosue inquit. Terra quã circuiuimus valde bona est, Si propitius fuerit DOMINVS inducet nos, in eam et tradet humũ laete & melle manantẽ. Nolite rebelles esse contra dominum, neq; timeamus populũ terre huius, quia sicut panem, ita eos possumus deuorare. Recessit ab eis omne præsidiũ. DOMINVS nobiscũ est nolite timere.

Inter hæc, nec Mose mutus fuit. Sed quemadmodum, in Deuteronomio apite primo scribitur, ita ait. Nolite metuere, nec timeatis eos. DOMINVS deus qui ductor est noster pro uobis ipse pugnabit, sicut in Aegypto cunctis uidentibus, & in solitudine ipsi ui distis. Portauit te dominus Deus tuus ut solet homo gestare paruulum filium suum in omni uia per quam ambulastis donec ueneritis ad locum istum.

His Caleb, Iosue, & Mose uerbis, forma bonis ac pijs uiris præscripta est, quomodo hisce temporibus murmura & uociferaciones uulgi compescere debeant. Docent enim illi, respiciendum esse in promissionem Dei, docent sequendam esse uocationem Dei, docent respiciendum in priora miracula, docent confidendum esse clementia diuina, docent dominum

cccc

IOANNIS BRENTII

recessisse ab aduersarijs, docent dominum ipsis presentissimum, dominum auxiliatorem esse. Ita boni uiri si quando uulgi clamores aduersus Euangelij causam audiat, doceant eum, non esse inutribiles aduersariorum minas respiciendum, sed in certissimam Euangelij de Iesu Christo (quod nunc aduersus papisticiam impietatem predicatur) ueritatem, & in superiora tempora, quibus hactenus Euangelij predicatio, diuina clementia, contra minas & decreta omnium parum, Regum, principum, & episcoporum mirabiliter promouit, quibus etiam tot insidie, tot doli aduersus eos qui Euangelion confitentur excogitati, & compositi, sunt patefacti, & pudefacti. Doceant item respiciendum esse non in multitudinem aduersariorum sed in causam eorum iniquam, quod dominus recesserit ab eis, & nos fauore suo complectatur. Nam cum hactenus multis annis Christus Euangelion suum defendere, & ut dicitur, Euangelicus fuerit, putas ne nunc eum defecturum, et nos derelicturum? Portauit nunc multo tempore eos qui Euangelio credunt, et illud confitentur sicut solet homo gestare paruulum filium suum, scilicet hoc tempore eos abiecturus est? Certe quemadmodum dominus liberauit Israelitas ab Aegyptijs, nullo gladio et nullis armis, ita nos non necesse habemus ut contra aduersarios gladijs, pro Euangelio pugnemus Sed efficiet dominus mirabiliter ut illi absque gladio preant. nos autem, si constantes in fide perduremus et uocationem dei

HOMILIA DECIMA OCTAVA.

sequamur ex omnibus periculis liberemur.

Quisquis igitur ex Deo est, auditis huiusmodi sermonibus, confestim incredulitatis sue murmur, sua sponte compescet, & perseveranti fide Euange-

lij pietatem sequetur, ut tandem perpetuam felicitatem adsequatur In Chri-

sto Ihesu Domino nostro qui  
est Deus laudandus in  
secula, AMEN.

HOMILIA DECIMANONA.

**A**GITE amicissimi enarremus etiã hodie que in historia de exploratoribus sequuntur. Frenit populus in castris Israel, flet vulgus, decem exploratores Gigantum molem exaggerando, terrore subinde augent. Caleb autem, Iosue, & Mose fremittum compescere & irritatos vulgi animos mitigare student, Sed quo magis hi egras mentes placare conantur, eo magis (ut omnis dolor contumax est) iritant & incitant. Quare fit, ut vulgus communi decreto statuatur, se illos, ut populi seductores & patrie cognacionis proditores, lapidaturum.

Hic mihi iterum optimi fratres obseruate, quanti sit

IOANNIS BRENTII.

ste laboris, quanti discriminis, molestie & difficultatis, ducem vulgus ad terram Canaan, hoc est, ecclesiam sten, agere. Etenim cum felix arridet fortuna, contemnit vulgus ducis seu ecclesiastice iussa, & mandata, Cuius rei specimina exhibent, Israelita in Exodo, capite decimo sexto, Nam cum Manna de celo plueret, & vulgus se ob Mannæ beneficium beatum iudicaret, præcipit Mose, primum ut nihil relinqueretur ex Manna usque ad mane. Deinde, ut sabbato nihil colligerent. Vtrunque populus neglexit, felix enim rerum successus, surdum reddit vulgus, ne iussa magistratus audiat. Rursus si aduersa imminet, omnis culpa in ducem reijcitur, omnis furor vulgus in ipsum effunditur.

Ex uno Mose, quid reliquis populi ducibus expectandum sit coniecta. Nam cum Israelita adhuc in Aegypto essent, & cogentur non datis paleis mensuram laterum implere, ac flagellentur, in Mosen & Aheronem omnem culpam transferunt dicentes. Videat dominus & iudicet, quam fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius. Idem contigit in deserto, cum enim non haberent panes, murmurant aduersus Mosen & Aheronem Cur inquam induxistis nos in desertum, ut occideretis omnem multitudinem fame? Et cum flagrarent carnis desiderio, quemadmodum in superiori historia commemoratum est.

HOMILIA DECIMA NONO.

est, multis contumelijs a Mose carnes flagrant. Iam hoc loco decernunt Mosen cum suis aequalibus lapidandum.

Itaq; si tanta insania Israel, populus electus, deoq; quondam acceptissimus in duces suos debachatur & grassatur, num quis ex eorum numero, qui nunc duces populi ex Aegypto proficiscentis agunt, meliora a populo suo sperare ac sibi polliceri possit? Nam & hisce temporibus educitur Christianus populus per ecclesiastes suos, ex Aegypto, & educitur uirga reuerentudinis (hoc est) predicatione Euangelij de Iesu Christo, quo a captiuitate & impietate Romani Pharaonis auditores liberantur. Quid ergo fieri solet? Si scelix affulget fortuna, ne tantillum quidem reputantur Ecclesiarum uerba, habentur ipsi stulti & fatui. Ac stimantur uelut excrementa mundi, & omnium reiectamentum. At uero si infelicia & aduersa imminet, si frumentum grandine deuastetur, si uites frigore detrimentum accipiant, si Caesarem ad euertendos eos, qui Euangelium consitentur aduentare, fama mentiatur, omnis tunc culpa, in nouum illud (sic enim uocant) Euangelion reijcitur, & totus furoris uulgi impetus in Ecclesiastas uertitur. Hos aiunt esse, omnis mali auctores, per horum conciones, omnia aduersa inundare palam declamant, Proinde iudicant eos tollendos, & uel gladio occidendos, uel eregione pollendos esse.

Eccē autē

IOHANNIS BRENTII.

Eccē autem quam fidelis sit dominus Deus noster, qui neminem sinit tentari super id quod potest. sed facit uia cum tentacione euentum ut sufferri queat. Nam, quod beneficium Deus Mosi exhibuit, quando iam lapidibus obruendus erat, omnibus ducibus, (hoc est Ecclesiastis) populum ex Aegypto impietatis educentibus, maximam consolationem & fiduciam animi prebet. Sic enim scribitur.

Cum clamaret omnis multitudo & lapidibus eos opprimere uellet, apparuit gloria domini super tectum foederis cunctis uidentibus filijs Israel.

Existimo autem hanc gloriam domini, quae apparuit nubem fuisse, inter diu castra Israelitarum praecedentem. Dicitur enim gloria domini, quod per eandem uocem domini, non solum inter Israelitas, sed etiam inter gentes, celebre, nobile, ac insigne reddebatur. Hac igitur gloria Israelitae exterriti restiterunt & manus continuerunt, ne quod in Mosen & Aheronem statuerant, peragerent, id; quod & factum & scriptum est, in consolationem omnium eorum qui ductu seu ministerio suo, diuinae uocationi seruiunt. Horum enim interest, ut recta ministerio suo pergant, & fideliter eo defungantur, etiam si aduersarij insaniant fremant et lapides tollant Nam cum dominus Mosen et Aheronē gloria sua a lapidibus defenderit, significauit eo ipso se ministros suos ita defendere ut aduersarij

HOMILIA DECIMANONA.

ante definitum tempus, & ante completam duodecimam ministerij horam, nihil prorsus ipsis incommo-  
di inferre, ne pilum quidem de capite ipsorum mo-  
uere queant. In promptu exempla sunt, non Mose so-  
lum & Aheron, sed etiam Dauid. Elias. Elisa, Petrus,  
Paulus, & Christus Iesus, qui ex presentaneis pericu-  
lis liberati manifestissimo & certissimo argumento  
sunt, Deum ministros suos, uocacioni diuine seruien-  
tes, in omnibus periculis, potenti manu seruare & as-  
tudire.

Ceterum Deus non solum Mosen ab iniuria uulgi  
defendit, uerumetiam alloquitur eum clementissime,  
et uulgo quidem grauisima supplicia minatur, Mose  
autem magna promissa pollicetur dicens.

Uisque quo detrahet mihi populus iste: quos  
usque non credent mihi in omnibus signis, quae  
feci coram eis: feriam igitur eos pestilentia atque  
consumam. Te autem faciam principem super  
gentem magnam, forciolem quam haec est.

Amabo, diligenter obserues, quam praestare esse  
solum & conatus uulgi aduersus Mosen & equals  
suos cadat. Tollit populus lapides, ut ijs Mose & sui  
obruantur. Sed ecce lapides in autores torquentur.  
Hoc enim conatu, populus seipsum in extremam per-  
niciem conijcit. Feriam (inquit DOMINVS) eos pes-  
lencia

IOANNIS BRENTII.

silencia & consumam. Mose autem salutem adiu-  
uant, tantum abest ut ipsum lapidibus opprimant,  
ait enim dominus, faciam te principem super gen-  
tem magnam & fortiorem quam haec est. Intelligis ne-  
nunc, quid illud sit quod Propheta dicit. Qui tangit  
uos tangit pupillam oculi sui? & alias, Ecce parturit  
iniusticiam concepit dolorem, & peperit iniquita-  
tem, lacum aperuit & effodit eum & incidit in fo-  
ueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput  
eius et in uertice ipsius iniquitas eius descendet. Non-  
ne Pharao persequendo populum Israel seipsum per-  
sequebatur? Nonne Absolon eiciens Dauidem ex  
imperio Israel, seipsum eiciebat. Nonne Pharisei &  
pontifices Christum trucidando, seipsos uere trucidab-  
ant? Sic Israelita tollendo lapides contra Mosen  
seipsos lapidibus obruunt, & quod dicitur, contra  
stimulos calcitrant. Etenim dominum Deum nostrum  
ad tantam iracundiam prouocant, ut decernat se ip-  
sos peste radicitus deleturum, quod tametsi oratione  
Mosi impediatur, tamen quemadmodum scriptura  
postea commemorabit, omnes in deserto deficiunt,  
& non potita terra Canaan moriuntur. Quare? quia  
detrahunt (inquit) mihi, & non credunt mihi in om-  
nibus signis quae feci coram eis. Liberaui eos ex Ae-  
gypto, diuisi mare, dedi Mannam de caelo, dedi aquam  
de petra, dedi carnes trans mare, adhuc tamen uerbo  
nico quo

HOMILIA DECIMA NONO.

meo quo terram Canaan ipsis promisi, nullam fidem adhibent.

Ex alieno periculo nostra imminencia diuinemus, ex alieno supplicio nostri murmuris & incredulitatis merita conijciamus. Enimvero, ut Israelitæ incredulitate sua, partim dubitabant, num uocatione diuina Aegyptum reliquissent, dicentes. Est ne DOMINVS in nobis an non, partim sentiebant uanam et fallacem esse promissionem de terra Canaan, ita magis est illorum numerus, qui hisce temporibus, aut non credunt hoc Euangelion (quod nunc de Iesu Christo, de iustificatione fidei, de gratuita per Christum remissione peccatorum, deq; alijs id genus rebus aduersus Sophisticas impietates prædicamus) ueram esse Euangelion, aut si uidentur credere, non tamen sentiunt posse illud contra tot aduersarios principes & Episcopos promouere. Ita detrahunt illi potentie diuine, perinde ac si Deus non esset tanta fortitudine præditus, ut possit Euangelion suum defendere, & populum Euangelio credentem ab omnium aduersariorum faucibus eripere.

Credrem inquit, si tanta miracula coram uiderem, quanta Moise aspectantibus Israelitis edidit. An uero tu, quisquis ita sentis non existimas ingens esse miraculum, quod hæcenus absq; ulla gladij uio-

lentia

IOANNIS BRENTII.

lentia Euangelion nos a tyrannide Romani Pharaonis liberauerit, & aduersus omnem huius sæculi potentiam et principatum per abiectos & uiles homunciones promouerit? Quod si illud dissimulaueris, certe nec dissimulare nec negare potes, quod Christus et Apostoli uaria signa & miracula ediderint, quibus Euangelij ministerium confirmatum est. Longissime autem absit, ut nos aliud Euangelion prædicemus, quam quod Christus et Apostoli prædicauerunt. Christus enim predicauit, se esse reconciliatorẽ mundi, uiam, ueritatem, & uitam, Et nos Christum prædicamus. Apostoli docuerunt, peccatorum remissionem contingere per solam fidem in Iesum Christum absq; ullis operum meritis, & nullũ aliud nomen esse sub cælo datum, inter homines quo oporteat nos saluos fieri, nec in alio quoquam esse salutem, quam in Iesu Christo. Idem nos docemus, & tantum non ad nauseam usque inculcamus. Apostoli docuerunt merita operum in conspectu Dei ad iustificationem consequendam uanissima esse, & nec diem obseruandum, nec abum, nec legitimum matrimonium coram Deo immundum esse & uetitum. Idem nos docemus, & quod docemus, Apostolorum testimonijs & scriptis confirmamus. Itaq; omnia ea signa & miracula quæ et Christus et Apostoli ediderunt, nõ minus hoc tẽpore

O ij ad confis

HOMILIA DECIMANONA.

ad confirmandam nostri Euangelij, quod nunc praedicamus, auctoritatem & ueritatem ualent, quam tunc ualuerunt cum primum aederentur. Et si omnino miracula desideras (quanquam gens peruersa & adultera signa flagitat) producimus ea, quae antiquitus a Christo & Apostolis facta sunt, Quod si per haec non mouearis ut credas, profecto nec unquam crediturus es, etiamsi miraculorum plaustra coram exhiberentur.

Proinde ne dominus propter incredulitatem nostram etiam in nos seueram illam & grauem sententiam, (seriam eos pestilentia & consumam eos,) pronunciet agite, fruamur aliena insania, & ex

aliorum erratis nostra per fidem emen-

demus, ut placato Deo ueram et

perpetuam beatitudinem

adsequamur In Ihesu

Christo domino

nostro, qui est

Deus

laudandus in secula, Amen.

Hesterno

IOANNIS BRENTII.

HOMILIA VICESIMA.

**H**ESTERNO die audiuius, dilectissimi, summam incredulitatem Israelitarum in Deum, & ingratitude ac furorem in ducem Moſen, audiamus hodie Moſi erga ipsos caritatem & bonitatem, audiamus iram Dei & seueritatem sententiae diuinae aduersus incredulos & ingratos, audiamus nunc placacionem ire & mitigacionem seueritatis eius per orationem Moſi. Cum enim hactenus Moſe Deo semper restiterat, ne Israelem deleteret (Solent enim pij per fidem indignationem & seueritatem Dei impedire) & Israelitae nunc Moſen lapidibus obruere uellent, existimabat dominus occasionem opportunissimam aduenisse qua posset Moſen ab impio illo populo abducere, ut ipsi, abducto Moſe, pro sua libidine in populum Israel seuire liceat. Et dicebat ad eum. Quid facias in hoc populo? uides oleum & operam perdita esse. Non solum tibi conuiciantur, sed etiam uita tuae insidiantur & ad necem te postulant. Recede igitur ab eis, creabo te principem multo maioris & forcioris gentis. At Moſe uir rerum spiritualium sanctissimus, agnoscebat tentacionem Dei qua etiam Abraham quondam in immolatione filij sui Isaac tentatus fuerat, agnoscebat uocacioni suae seru-

O iij      endum

HOMILIA VICESIMA.

endum esse, quæ magnis miraculis confirmata erat, & ex uerbis Dei pro spiritus industria, optime intelligebat, Deum indignacionem quidem grauissimam aduersus Israellem concepisse, posse tamen ab ea reuocari & mitigari, si ipse populi ducatum non relinquat, sed fide sua intercedat. Itaque oblitus omnis iniuriæ, ab Israel illatæ expers omnis inuidiæ, opponit se tanquam murum pro Israele aduersus iram Dei, & ueteribus suis artibus, hoc est, fide & precibus, quemadmodum antea sæpenumero, Deo occurrit, dicens.

Vt audiant Aegyptij de quorum medio eduxisti populum istum, & habitatores terræ huius, qui audierunt quod tu domine in populo isto sis, & facie videaris ad faciem, & nubes tua protegat illos & in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem, quod occideris totam multitudinem quasi unum hominem, & dicant, non poterat inroducere populum in terram pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in solitudine.

Non frustra Mose eodem argumento nunc dominum pro Israele precatur, quo antea precatus fuerat, quando propter institutionem cultus uituli auri rei Israel intermicioni a domino destinatus erat. Mitis

gauc

IOANNIS BRENTII.

gauerat enim tunc iram Dei & precibus suis imperauerat, ut Israel ueniam consequeretur. Itaque eandem precandi formam nunc producit, ut eadem quoque impetret, Itane, inquit, hunc populum euertes? Sed quomodo interim conseruabitur nominis tui gloria, quam solam inter homines omnibus tuis operibus & miraculis requiris? Noui Israellem propter impietatem dignissimum esse supplicio. Noui ipsum meritum esse extremam intermicionem, Sed noui quoque apud te plus ualere gloriæ tuæ dignitatem, quam hominum scelera & te magis famæ tuæ, quam iræ consulere. Nunc igitur mihi uide, quantis contumelijs gloria nominis tui afficeretur si Israellem perderes. Fama enim nominis tui, non tantum ad Aegyptios, e quibus Israellem magnis miraculis liberaſti, sed etiam ad omnes finitimas gentes peruenit, uidelicet, quod tu domine in populo Israel præsto adsis, & clarissimis tuis miraculis, oraculis, & responsis, quasi facie ad faciem præsentissimus uidearis, adeoque Israellem nube protegas, & nube iernoctu diuque demonstres. Si ergo illi audierint, Israellem a te in deserto deletum, quid dicent? nimirum te esse Deum seductorem, impostorem, callidum ueteratorem, tyrannum, populi deuoratorem, et impotentiorē quā ut potueris populū tuū in de-

o iiij seruo in pro-

HOMILIA VICESIMA.

in promissam regionem introducere, *Que fama, si de te in orbe terrarum increbuerit, quis obsecro in te confidet? quis te inuocabit? quis te colet? et uenerabitur? Sāo parum apud te referre, quid impuri illi Aegyptij & alie impie gentes de te sentiant, At multum apud te refert quam bona de nomine tuo fama in orbe spargatur, ut posteri, quos ad hereditatem coelestium bonorum designasti, nominis tui fama permoti, in te credant, te inuocent, te adorent.*

Magnificetur ergo virtus domini sicut dixisti, inquit. Dominus paciens & multę misericordię, remittens iniquitatem et scelera, nullumq; innoxium derelinquens, visitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Dimitte obsecro peccatum populi tui huius, secundum magnitudinem misericordię tuę. Sicut propitius fuisti egredientibus ex Aegypto usq; ad locum istum.

Priusquam ultimam hanc orationis Mosi partem explicemus, obseruandum est quod in priori oratione que est in Exodo capite tricesimo secundo conscripta, Mose promissionem Abrahę Isaac & Iacob de seminis multiplicatione & de terra Canaan factam, diuine indignacioni obijcit. In hac autem oratione commemorat tantum cognomina, appellationes, & quos

uocant

IOANNIS BRENTII.

uocant, titulos Dei. Id quod non esse temere factum credendum est. Nam Mose in priori oratione non statim precatur pro peccati remissione, sed tantum deprecatur internitionem Israelis. Itaq; producit illic promissionem Dei ad eam rem impetrandam, aptam & accommodam. Nunc autem manifeste precatur pro uenia & remissione peccati. Igitur deponit e si dei sue poenu quod petitioni conuenit, et commemorat coram Deo appellationes & cognomina, quibus Deus se ipsum uocans, remissionem peccatorum promisit. Magnificetur (inquit) uirtus constancię tuę, manifestetur firmitas & pondus ueritatis tuę, declaratur nunc & confirmetur certitudo & ueritas appellationum, cognominum, Epithetorum, & titulorū, quibus te ipsum uocasti.

*Que ergo sunt appellationes, & epitheta Dei? et ubi scriptum est, quibus epithetis Deus se ipsum cognominauerit? In Exodo capite tricesimo tertio petiuit Mose a domino, ut ostendat ipsi gloriam suam. Ostende (inquit) mihi gloriam tuam. Respondit autem dominus, ego ostendam omne bonum tibi, & recensebo epitheton domini coram te. Ut igitur dominus promissioni sue satisfaceret, pręcepit Mosi ut ascenderet in montem Sinai, & staret cum domino in uertice montis. Quod cum Mose fecisset, & iuxta pręceptum ascendisset, ad uerticem montis solus, descen-*

O v dit

HO MILIA VICESIMA.

dit DOMINVS per nubem & transiit coram Mo-  
se, ac recensuit ei cognomina & Epitheta sua, dicens,  
DOMINVS, DOMINVS, DEVS, Misericors, & Cle-  
mens, Patiens, multa miserationis, & ueritatis, custo-  
diens misericordiam in millia, Remittens iniquita-  
tem & scelera, atq; peccata, apud quem nullus per se  
innocens est. Reddens iniquitatem patrum, filijs ac  
nepotibus in tertiam & quartam progeniem.

Hec sunt cognomina & Epitheta Dei, quæ Deus  
Mosi commemorauit & recitauit, ut per illa cogno-  
scatur qualis sit, & quid de ipso nobis polliceri atq;  
ab eo expectare audeamus. Atq; hoc illud est, quod Da-  
uid in Psalmo centesimo secundo dicit. Notas fecit  
uias suas Mosi, filijs Israel uoluntates suas. Misera-  
tor, & misericors dominus, longanimis & multum  
misericors.

Primum enim Epitheton Dei est, DOMINVS,  
DOMINVS, quod est nomen apud hebreos ineffabile  
significans maiestatem Dei humano captu inperseru-  
tabilem esse, interim tamen, si originem eius nomi-  
nis inspicias, ab eo quod est, Esse, deducitur, ut hoc  
Epitheto significetur per Deum omnia uiuere, moueri  
& esse.

Secundum est, Deus, quod fortem robustum & au-  
xiliatorem significat, quod Epitheton, quid aliud sibi  
mult

IOANNIS BRENTII

mult quam quod omnes in afflictione constitutos admo-  
neat ut in Deum confidat. Si quidem ipse est fortis &  
robustus auxiliator.

Tertium est, Misericors & clemens, quo Epithe-  
to peccatores ad fidem remissionis peccatorum suo-  
rum inuitantur.

Quartum est, Paciens, uel longanimis, uel tardus  
ira, qua re impij ad poenitentiam uocantur. Bonitas  
enim & tolerantia Dei, ut Paulus ait, ad poeniten-  
ciam inuitat.

Quintum est multa miserationis & ueritatis.  
Quo cognomine significatur Deum esse benefactorem,  
uimine uanum, & mendacem, sed certissimum et con-  
stantissimum, ut quicquid beneficiorum promiserit,  
id uerissime conferat.

Sextum, custodiens misericordiam in millia, & con-  
tra, reddens iniquitatem patrum filijs ac nepotibus  
in tertiam & quartam generationem. Huius Epitheti  
exempla sunt ex una parte; Abraham, Isaac, Ia-  
cob, Dauid, Rehabita & multi alij quorum posteri-  
tati Deus multa beneficia contulit. Ex altera parte  
Ierobeam, Baza, Ahab, & plerique alij quorum  
iniquitates Deus etiam in nepotibus uisitauit &  
puniuit.

Septimū

HOMILIA VICESIMA.

Septimum, remittens iniquitatem & prauaricationem, & peccatum, apud quem nullus per se innocens est, quo significatur, quod etsi coram Deo omnes sint peccatores, & coram ipso nemo per se iustificatur, Deus tamen tante est clementiae & misericordiae, idq; non nisi per semen Abrahae promissum, per Iesum Christum filium suum, ut non unum tantum peccati genus, sed omnium peccatorum genera quocumq; nomine uocentur, remittat, atq; per fidem credentem, alioqui iniustissimum, iustum reputet. Cum igitur Mose, haec Epitheta Dei coram ipso, a Deo recitata, altissima fide & memoria reposuit, depromit ea nunc in summa necessitate qua Israel periclitabatur. Domine, inquit, memini adhuc, quae mihi tu Epitheta & cognomina recensueris in monte Sinai quibus gloriam & maiestatem tuam mihi reuelabas. Non certe fallit me memoria. Vocabas te clementem, misericordem, remittentem, iniquitates, & scelera. Agnoscis opinor tua ipsius cognomina, et tua Epitheta. Itaq; obsecro, ut ueritatem horum declares & Israeli peccatum suum dimittas. Sic enim auctoritatem tuorum Epithetorum confirmabis, & efficies ut postrietiam peccatores tua misericordia confidant, a peccatis resipiscant, teq; solum colant atq; uenerentur. Hac oratione Deus ita exoratus, ita captus est ut continuo respondeat.

Dimisi

IOANNIS BRENTII.

Dimisi iuxta uerbum tuum. Viuo ego, implebitur gloria mea uniuersa terra.

O immensam Dei clementiam, o incomparabilem eius misericordiam & bonitatem. Designauit Israel tantum scelus & flagitium in Deum, ut non solum meruerit supplicia corporalia, sed etiam Panoethrian & perpetuam damnationem, nihilominus tamen Deus breuissima hominis precatione flexus, & placatus, dimisi, inquit, peccatum iuxta uerbum, & iuxta precationem tuam. Et ut cognoscas firmitatem non tam prioris promissionis de terra Canaan, quam praesentis remissionis peccatorum, interpono iusiurandum, Viuo ego, efficiam ut gloria nominis & Epithetorum meorum per hunc populum in uniuersam terram spargatur. Nam ob hanc potissimum causam huic populo tantum flagitium remitto, ut in toto terrarum orbe magnitudo misericordiae meae celebretur, & omnes peccatores, quantumcumq; grauiam, magna, & multa scelera commiserint, audeant resipiscere misericordiam & remissionem scelerum suorum sperare. Sed quid est illud, quod Deus remittit peccatum, nihilominus tamen supplicium infert? sic enim sequitur.

Attamen omnes homines qui uiderunt ma-  
lestam

HOMILIA VICSIMA.

estatem meam & signa quę feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meę, non videbunt terram pro qua iurauī patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi intuebitur eam. Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu securus est me inducam in terram hanc quam circūcūiuit, & semen eius possidebit eam, præterea Amalekitas & Cananeos, qui habitant in vallibus. Et ut dominus hanc suam sententiam certam firmam & fixam declaret, addit, vsquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? Querelas filiorum Israel audiui. Dic ergo eis, Viuo ego, ait DOMINVS, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis, Quod enim impius timet accidit ei, in solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes qui murmurati estis a viginti annis & supra, murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam leuauī manum meam vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephune, & Iosua filium Nun, Paruos autem vestros de quibus dixistis quod præde hostibus forent, introducam vt videant terram quę vobis displicuit. Vestra cadauera iacebunt in solitudine, Filij vestri erunt vagi in solitudine annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera

patrum

IOHNNIS BRENTII.

patrum in deserto iuxta numerum quadraginta dierum quibus considerastis terram, Annus pro die computabitur, et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionem meam, Quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimę quę consurrexerit aduersum me. In solitudine hac deficiet & morietur.

Quę est igitur hæc mirabilis rerum dispensatio, & Deus remittat peccata, propter peccatum tamen supplicia inferat? An supplicia & pœnæ corporales, pro peccatis satisfaciunt, & peccata expiant? Vnum solum supplicium, videlicet, domini nostri Iesu Christi est satisfactio, expiatio, & propiciatio pro peccatis. Omnia autem aliorum hominum supplicia sunt potius stipendia & autoramenta peccati, quam propiciationes pro peccato.

Cur ergo remisso Israelitis peccato, per misericordiam & clementiam Dei in semine Abrahę, quod est Iesus Christus dominus noster, adhuc supplicium peccati inferatur? cur ablata culpa, pœna manet? Profecto, nõ ob eã causam manet pœna, quod satisfaciatur pro peccato et reddat Deũ propiciũ. Vbi enim interim maneret pro

HOMILIA VICESIMA

neret promissio misericordiae dei per semen Abraham?  
Vbi maneret Iesus Christus? ubi iustificatio fidei, qua  
gratis recipitur remissio peccatorum? Sed sunt mul-  
tae aliae causae propter quas remisso peccato, Israeliti-  
tae supplitio afficiuntur.

Primum, quando Deus remittit peccata, necessa-  
rium est, ut ea remissio per fidem accipiatur. Non au-  
tem accipitur peccatorum remissio per fidem nisi an-  
tea peccatum cognoscatur. Porro peccatum non co-  
gnoscitur nisi per legem. Cum autem dico 'legem',  
non intelligo uerba solum legis, sed etiam maledictio-  
nes, penas, et supplicia, uerbis legis conscripta, et a  
domino peccatoribus illata. Cum igitur dominus pre-  
cante Mose, Israelitis peccatum suum remitteret, et  
illi peccatum suum nondum agnoscerent, atque ita ob-  
latam remissionem nondum per fidem accipere pos-  
sent, Imposuit eis DOMINVS hanc penam, et sup-  
plitium ut quadraginta annis in deserto incertis se-  
dibus uagarentur et ibidem perirent, et imposuit  
eam poenam, quemadmodum ante dictum est, non ut  
esset pro peccato satisfactio, sed ut esset peccati ab  
ipsis perpetrati inditium et manifestatio, ac per eam  
penam agnoscerent, quam grauiter in Deum peccas-  
sent. Agnoscentes autem peccatum crederent illud  
sibi gratis per misericordiam Dei remitti, atque ita per  
fidem, iudiciam et salutem consequerentur.

Deinde

IOANNIS BRENTII

Deinde, supplicium quod post remissum peccatum  
in Israelitis relinquitur, eruditio et disciplina est, ne  
porro peccetur.

Postremo exemplum est, quo omnes postri ab eius  
modi peccatis deterreantur. Si enim dominus Deus  
noster non pepercit populo huic dilectissimo, quem  
uocauit primogenitum suum, quantum minus parceret no-  
bis gentibus, si aduersus promissiones Dei et uerita-  
tem Euangelij murmuremus, et incredulitate nostra  
Euangelion exhibemus. Sunt et aliae causae, propter  
quas interdum supplitium in iustificatis reliquum  
manet, uidelicet, ut fides supplitio aduerso probetur  
et exerceatur, ut potencia Dei nostra infirmitate con-  
spectior fiat, et ut quo magis affligimur, eo magis glo-  
rificemur, quas causas explicare non est nunc nostri  
argumenti. Satis est, quod ad hunc locum attinet, ut  
cognoscamus, quod DOMINVS potissimum hoc nomine  
Israelitas post remissionem peccati, supplitio castigat,  
ut ex supplitio discant peccatum suum agnoscere et  
confiteri, et postea in promissionem illam ad Mosen di-  
ctam (dimisi iuxta uerbum tuum) credere, adeoque per  
fidem remissionem peccatorum gratis atque ullis uel sa-  
tisfactionum uel satis passionum et afflictionum meri-  
tis consequi.

Quae cum ita se habeant, uideamus nunc quod con-  
sorcium et quae communio nobis cum Israelitis sit, illi stasi  
P dierunt

HOMILIA VICESIMA.

Auerunt promissionem de terra Canaan, nos fastidimus Euangelion de Iesu Christo. illi indignati sunt, quod tantis periculis eos constet liberatio ex Aegypto, et maluerunt in Aegyptum redire, quam tot pericula sustinere. Nos indignamur quod tanto discrimine nos constet liberatio ex impietate papistica, & malumus ad papisticam religionem, uelut canis ad suum ipsius uomitum, & sus lota ad uolutabrum cani, reuerti, quam minas saltem uerborum perpeti. illi desperauerunt de ingressu in terram Canaan, nos desperamus de profectu Euangelij. Illi persecuti sunt Moysen, Aheronem, Caleb, & Iosua, atque ipsos ultimo supplicio dignissimos pronunciant, nos bonos, & pios quosuis ecclesiastas, aut contemnimus aut fastidimus, aut persequimur, aut trucidamus. Quid tum postea? Illi sua impietate meriti sunt, ut omnino subitanea peste perire ac prorsus eueri debuissent. Nos uero quanto eos sceleribus & impietatibus superamus, tanto magis meriti sumus, non subitanam solum pestem, sed etiam si quid hoc est aut crudelius aut horribilius. Illi quadraginta annis incertis sedibus in deserto uagati sunt, donec interirent. Nos nunc multis annis in nostris regionibus uitam agimus, incertis magistratibus, incerta pace, omnibus denique sacris & prophanis incertis. Quid enim putas cause esse, cur tot principum conuentibus,

IOANNIS BRENTII.

tot procerum concilijs, nihil, neque in sacris, neque in prophanis, rebus ordinatur? cur neque pax ciuilis certa constitui potuit? cur omnia sunt concussa, turbata & inuersa? profecto punit Deus incredulitatem nostram qua beneficium Euangelij nobis reuelati contemnimus & conculcamus, ut necesse habeamus, incertis & turbatis omnibus rebus uitam agere, donec prorsus intereamus, & quod timuimus accidat nobis.

Ergo ne moriemur in peccatis nostris? Absit. Nam quae Israelitis contigerunt, & quae Mose orauit & impetrauit, propter admonitionem, & in doctrinam nostri scripta sunt, uidelicet ut ex Israelitarum desipientia, sapiendi occasionem accipientes non murmuremus per incrudelitatem aduersus dominum & Euangelion eius, sed fidem Mosi, Caleb, & Iosua imitantes, precemur dominum, & si libet precacionis formam a Mose accomodato accipiamus, dicentes.

Vt audiant impij de quorum medio nos eduxisti, uani papistae, qui audierunt, quod Euangelion tuum o DOMINE, in nostris ecclesijs adnuncietur, & faciem misericordiae tuae nobis per Iesum Christum filium tuum reuelaueris, ac nos mirabili tua potentia diu nocturne defendas, quod dereliqueris tantam multitudinem Euangelion tuum amplectente et contumeliosum nomine

HOMILIA VICESIMA

Euangelij tui sordident, ac blasphemij afficiant dicentes, uana est Euangelij prædicatio. Vanum ipsum Euangelion et Christus impotentior est, quam ut possit populum Euangelio suo confidentem defendere, idcirco ad unum omnes perierunt. Magnificetur ergo uirtus tua, domine, sicut locutus es dicens. Ego sum ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. Dimitte obsecro peccatum nostrum secundum magnitudinem misericordie tue, quam nobis per Iesum Christum filium tuum exhibuisti, sicut nobis propicius fuisti, ab eo tempore, quo Euangelion Iesu Christi filij tui agnouimus usque ad hoc tempus.

Itaque si ita uerba Mosi in precatione nostra mutuocapiamus, ut multo magis fidem imitemur, et ex fide oremus, continuo et nos uocem illam maxime Euangelicam (dimisi iuxta uerba uestra) audiemus. Que si fuerit a nobis fide excepta, quicquid afflictionum, quicquid aduersitatum, quicquid tribulationum inderit, necesse est, ut nobis ad bonum, ad maiorem sanctificationem et glorificationem adiumento sit. In Christo Iesu domino nostro, qui est Deus laudandus in secula, Amen.

Si unquam

IOANNIS BRENTII.

HOMILIA VICESIMA PRIMA

**S**I UNQUAM, amicissimi, certe in hoc maxime supplicio, quod Deus incredulis et murmuratoribus Israelitis minatus est, probe obseruare licet iram Dei minime omnium uanam, impotentem et sine uiribus esse. Tametsi enim, quemadmodum hesternodie, caritati uestre recensuimus, Deus oratione Mosi placatus, peccatum Israelitis remisit, tamen ut illi grauitatem peccati sui agnoscerent, et ad pietatem attentiore studio sectandam, erudirentur, seuerissimam sententiam contra eos pronunciat et decernit, ut quadraginta annis in deserto incertis sedibus uagantur, donec omnes, quotquot uigesimum etatis annum egressi erant, quando ex Aegypto proficiscebantur uel morbis uel pestibus, uel fame uel difficultate itineris pereant. Quam sententiam horribili supplicio in exploratoribus complere incipit. Sic enim sequitur.

Omnes uiri quos miserat Mose ad contemplandam terram, et qui reuersi murmurare ceperant contra Deum omnem multitudinem deraherest terre: quod esset mala, mortui sunt atque percussu in conspectu domini. Iosue autem filius Nun, et Caleb filius Iephune, uixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam terram.

P iij Primū

HOMILIA VICESIMA PRIMA

Primum igitur hoc nobis obseruandum uenit, quod quemadmodum Abraham inquit, longe abest a Deo ut perdat & occidat iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius. Inter duodecim enim exploratores, duo tantum iusti erant, quomodo? non hypocritis operibus, sed fide in promissionem Dei, patriarchis de terra Canaan factam. Decem autem erant iniusti propterea quod non solum ipsi promissionem Dei non credebant, sed etiam alios terribili suo nuncio a fide deterrebant. Itaque duobus iustis seruatis, pereunt decem iniusti uel peste uel alia repentina morte, qua palam animaduertebatur eos praeter naturalem rerum cursum, supplicio diuinitus immissio, interuisse. Sic seruauit quondam dominus octauum iusticie praecorem Noe, ut Petrus ait, et diluuium in mundum impiorum induxit. Sic ciuitates Sodomorum & Gomorrhæ in cinerem redactas subuersione condenuauit. et iustum Loth qui opprimebatur a nefarijs perlibidinosam conuersatione eripuit. Nouit enim dominus pios e tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniendos seruare. Proinde non est, quod timeamus uel pericula uel supplicia. Sed timeamus potius Dominum & fide ei adheramus ut tempore supplicij eripiamur, & non cum impijs pereamus.

Deinde obseruandum est, quod paucissimi ex plurimis supplicium euadunt, uidelicet, duo ex duodecim populi

IOANNIS BRENTII.

populi principibus, & quod horribilius est, duo tantum illi Iosue & Caleb, ex innumerabilibus qui de terra Israel egressi fuerant, ingrediuntur terram Canaan. Ex Aegypto enim profecti sunt filij Israel, sexcenta fere milia peditum uirorum praeter paruulos et mulieres, sed & uulgus promiscuum in numerabile ascendit cum eis.

Quid igitur sibi uult mirabile istud Dei iudicium, quod ex innumerabili Israelitarum multitudine ex Aegypto egressa, duos tantum in promissam terram introducit? nimirum non hoc uult Deus, ut ob hanc paucitatem nos a salutis uia deterreat, cum alias moueamur, ut contendamus intrare per angustam & arctam portam, sed uult nos potius aduersus paucitatis scandalum munire, ne paucitate electorum offensi, a salutis uia resiliamus, & multitudinem pereunium sequamur. Ut enim nunquam tam bene cum rebus humanis actum est, ut optima plurimis placuerint, ita nunquam maior hominum pars meliora sequitur. Noe cum paucis uerbo domini obediuit, reliqui omnes in toto terrarum orbe suas cupiditates secuti sunt. Loth fere unus tantum in populosissimis Sodomiticæ regionis urbibus pietate sectatus est, reliqui omnes uoluptatibus & impietatibus studuerunt. In nobilissima gentis suæ urbe Iericho, una tantum mulier Rahab, et quod mirabilius uidetur, meretrix, uerbo Domini fidem adhibet, & exploratores a Iosue emissos seruauit.

HOMILIA VICESIMA PRIMA

Reliqui omnes incredulitatem sectati, perierunt. Et Esaias dicit, Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliqui e conuertentur ex eo. Et Christus. multi uocati, pauci electi, Itaque non offendamur paucitate ueritatem sequentium, nec credamus paucorum causam ideo iniustam, quod pauci sint, & multorum causam ideo iustam quod multi sint. Sed amplectamur ueram pietatem quam pauci sectantur, ne una cum multitudine pereamus.

Postremo, quod dominus decem exploratores subitanea et horribili morte perdidit, fecit eos exemplum omnibus his, qui am pullis suis & sesquipedalibus uerbis, quae de potentia et uiribus aduersariorum Euangelij proijciunt, simplicem uulgum a fide Euangelij deterrent, & auertunt. Cur igitur hi qui inter nos terribilia quaedam falso de Caesaris aduentu sperarunt, & multos ad defectionem a confessione Euangelij sollicitarunt, non statim repentina morte perierunt? Non estimandum est, exempla quae scriptura de impiorum supplicio recitat ob hanc causam commemorari, quod alij impij omnino & ex omni parte simili & aequali poena afficiantur. Nam, cum Paulus dicit, neque tentemus Christum sicut & quidam illorum tentauerunt, & a serpentibus extincti sunt, non hoc uult, quod omnes qui tentant Christum, a serpentibus extinguantur. Et cum Petrus dicit, Sodomitas in cinerem

IO ANNIS BRENTII.

cinerem esse redactos, in exemplum eorum qui impie forentacturi, non hoc uult, quod omnes impij igni & sulphure celitus deiecto plane ad similitudinem subuersionis Sodomiticae pereant.

Sed haec est spiritus sancti sententia, dum in sacra scriptura impiorum supplicia ad exemplum proponit, primum ut impij, aliena insania fruantur, & ex alieno supplicio, sua errata, suas impietates, agnoscere, & resipiscere discant. Deinde, ut si nec alienis periculis cauti fiant, cognoscant se multo atrocioribus supplicij sobnoxios, et quo magis sera sit dei uindicta eo grauiorem imminere, id quod exemplo pontificum & phariseorum qui Iesum Christum ad crucem adegerunt, comprobatur. Hi enim instar decem exploratorum, crepabant tyrannidem Romani imperatoris, dicentes, Si permiserimus cum sic, Romani uenient & tollent tum locum nostrum, tum gentem. Et si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. Quibus uocibus & minis territabant aliorum animos, ne in Christum crederent, Quid ergo factum est? num pontifices & Pharisei mox repentina morte perierunt? minime omnium. Sed potius post has uoces aliquandiu uia eorum prosperabatur, & uitam suam in bonis deducebant, tum quia tolerantia & bonitate Dei ad poenitentiam inuitarentur, tum ut si bonitatem Dei contempserint atrociori supplicio afficerentur, Quam enim atroci

HO MILIA VICESIMAPRIMA.

pena afflicti sint, testatur Christus, cū dicit. Ecce uenient dies in quibus dicent montibus, Cadiite super nos, & collibus, operite nos. Itaq; quod & nostris exploratoribus qui hisce temporibus uanissimis suis nugis de potencia aduersariorum Euangelij, & minis maiestatis imperatoriae simplitium animos territant, & a fide Euangelij abducunt, pena uanitatis suae in longum differtur, non est impietatis eorum iustificatio, sed bonitatis Dei eos ad resipiscentiam inuitantis, quam si neglexerint ac contempserint, sentient tandem uindictam Dei eo grauiorem fore quo tardior uenit.

Ceterū ut redeamus ad ea quae in historia sequuntur, cum Mose uideret repentinum decem exploratorum interitum, nactus commodam occasionem qua sententiam Dei super uniuersum Israellem latam pronunciaret.

Locutus est ad omnes filias Israel, vniuersa uerba haec.

Quae uerba? ea quae dominus antea dicere iusserat, uidelicet, nullum eorum qui murmurauerant ad uersus dominum in terram Canaan ingressurum, sed omnes qui numerati sunt a uiginti annis, & supra, in deserto perituros, adeoq; quadraginta annis iniquitates suas recepturos, & ulcionem Dei sensuros.

Quo

IOANNIS BRENTII

Quo audito populus luxit nimis, confessus scilicet grauiiter se peccasse.

Porro autem quantum ex circumstancijs diuinae licet, hic populi luctus, et haec peccatorum confessio non erat sincera, sed ut sic loquar, patibulana poenitentia, Siquidem sincera poenitentia est, quae luget, non propter supplicij sensum, sed propter peccatum aduersus Deum commissum, & ueram poenitentiam sequitur uera uerbi Dei obediencia. Israelita autem lugent, non quia grauiiter in Deum peccauerunt, sed quia coram aruebant supplitium decem exploratorum, quo ceu certissimo argumento sentiebant grauitatem sententiae diuinae aduersus sese latae confirmatam esse. Sic lugebat Esau, ob uendita primogenita, Sic fere homines dolent sese peccasse quando sentiunt acerbissimos morborum dolores, qui ad huc corpore sani nulla ratione potuerunt ad agnitionem peccatorum adduci.

Quid ergo inquires? Vana ne est poenitentia, quae sensu supplicij oritur? Nonne dominus ob hanc causam peccatores punit, ut eos per supplicia ad cognitionem peccatorum ducat, et ad sinceram poenitentiam trahat? unde etiam per Prophetam conqueritur. Non sunt (inquires) reuersi ad percucientem se. Et Manasse rex impiissimus in uinculis peccata sua didicit, et ueniam impetrauit. Sic

HOMILIA VICESIMA PRIMA.

Sic enim de ipso scribitur, Posteaquam coangustus est, orauit dominum Deum suum, & egit penitentiā ualde coram Deo patrum suorum?

Vt ad hęc respondeam obseruandum est, DOMINUM Deum nostrum, ad ostensionem peccati sine hoc ordine procedere. Principio legem & mandata sua proponit, quibus maledictiones preuaricantis indicantur. Lex enim est agnitio peccati & lex iram operatur. Deinde, si uerbis legis nihil efficitur (ut hominum natura nudis uerbis parum mouetur) addit Deus supplicia corporalia, ut quorum conscientie, non terrebantur uerbis, terreantur uerberibus. Itaque si suspicio commoti, peccatum agnoscamus, & propter peccatum doleamus ac lugeamus, uerum & legitimum poenitentię gradum ascendimus. Sin autem doleamus non propter peccatum, sed tantum propter grauitatem supplicij, aberramus a gradu uerę poenitentię, & salutem non consequemur, nisi & peccati grauitatem agnoscamus. Iam cum Israelitę lugent, non quod aduersus Deū deliquerint, sed potius, quod supplitium ob oculos positum sentiebant, fictę poenitentię lucrum agnosimus, & Hipocrisim sequentia clarius testatur. Cum enim luctum uerę poenitentię uera erga Deum obediencia sequaturi, illi magis ac magis inobedienciores sunt. Etenim cum animaduertissent, sibi omnino non esse ad Aegyptum redeundam,

sed

IOANNIS BRENTII.

sed uersus terram Canaan longis tamen erroribus proficiscendum.

Ecce mane primo surgentes, ascenderunt uerticem montis, atque dixerunt, parati sumus ascendere ad locum, de quo dominus locutus est, quia peccauimus.

Age, inquit, Mose, agnoscamus nos aduersus dominum peccasse, quod in Aegyptum retrospexerimus & terram Canaan contempserimus, ascendemus igitur nunc paratissimo animo aduersus hostes nostros, & pugnabimus contra eos, quemadmodum precepit nobis dominus. Negleximus hactenus mandata domini, nunc probe illis obsequemur. At uero hic Israelitarum conatus, statim uerbo domini prohibetur. Cum enim instructi armis in montem pergerent, ait dominus ad Mosen.

Dic ad eos. Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum uobiscum, ne cadatis coram inimicis nostris. Quod dominus mandat, Mose exequitur, & ait Nolite ascendere. Cur transgredimini uerbum quod uobis non cedit in prosperum. Amelecita, & Cananeus ante uos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis aquiescere DOMINO, nec erit DOMINVS uobiscum.

HOMILIA VICESIMA PRIMA.

Quid obsecro hoc rei est? Dominus antea mandauerat ut Israelitæ in terram Canaan proficiscerentur, & Cananeos atq; Amelekitas debellarent Et cum illi hoc mandatum complere nollent, Sed in Aegyptum spirarent, uoluit eos radicitus extirpare. Contra, cum uellent illud mandatum Dei exequi, & in terram Canaan proficisci ac contra hostes suos pugnare, prohibentur a Deo per Moſen Quid hæc sibi uult pugnancia? Nonne Israelitæ potuissent Moſen accusare, quod ex eodem ore calidum & frigidum efflaret, & nunc albus, nunc ater esset? Sane, si sequentia respicias huiusmodi quæpiam uel obiecerunt Moſi palam, uel saltem secum in animo suo uoluerunt. Contenebrati enim, ut scriptura ait, noluerunt obedire, sed aduersantes imperio DOMINI, & tumentos superbia ascenderunt armati in montana. Nonne hoc ipso factò, accusarunt Moſen mendacij et inconstantiæ, quod aliud stans, aliud sedens præcipiat.

Facilis ad ista, responsio est, Si intelligamus quid sit soli domino seruire. Etenim, qui soli domino seruit, non suis cupiditatibus non suæ temeritati obsequitur, sed uelut Delphicus gladius, uerbo domini in omnibus sese accomodabilem præbet. Sic enim inquit DOMINVS, quod ego præcipio tibi, hoc tantum facias DOMINO

IONNIS BRENTII.

MINO, nec addas quicquam, nec minuas. Item, Non declines nec ad dextram, nec ad sinistram. Iam mandatum quidem erat Israelitis, ut ad terram Canaan migrarent, & aduersarijs suis resisterent. Sed mandatum quoq; erat ut in ea profectioe & resistencia præscripta Dei obseruarent & consultis diuini obsequerentur, adeoque toti e uerbo domini penderent & nec castra sine uerbo eius aut ponerent, aut mouerent. Non enim satis est ut uocationem diuinam sequaris, nisi etiam in ea uocatione Deo obsequaris, & requirit Deus, ut iussa eius non temerario animi impetu sed pia cordis obedientia compleas, & quod Deus præcepit, facias, & in ipso factò præscriptis Dei obedias. Itaq; etsi Israelitis præceptum erat, ut aduersus gentes Cananeas bellarent, tamen quia nunc præscriptum Dei prohibentis eis, ne hoc tempore pugnent, negligunt & contemnunt, non uocationem Dei, sed suam ipsorum temeritatem sequuntur & quasi peccatum ariolandi & scelus Idololatriæ conmittunt.

Est autem in hoc populo ingenium humanæ nature expressum, quod nimis aut ad dextram aut ad sinistram declinat, nec unquam media uia quæ tutissima est incedere nouit. Cum enim antea Israelitæ ad Aegyptum redire uol-

HOMILIA VICESIMA PRIMA.

redire uolebant, nimis ad sinistram declinabant. Cum uero nunc, contra mandatum domini, hoc tempore datum, aduersus hostes proficiscuntur, nimis ad dextram declinant.

Eadem prorsus ingenij iniquitas inter nos relucet. Aut enim Euangelion de Iesu Christo & de gratuita peccatorum remissione per Iesum Christum omnino contemnitur & conculcatur, aut omnino ad carnis licentiam usurpatur, hoc est, aut nimis ad sinistra, aut nimis ad dextram declinatur. Et alius quidem. Euangelion plusquam Vatimiano odio prosequitur, alius autē ex Euangelio putat sibi licere, quod libet, uorat in quadagesima temere absq; ullo offendiculi respectu carnes, ridet ieiunia, genio indulget, negligit preces, contemnit sacerdotes, diripit sacrificulis sua bona, confessionem peccatorum damnat, templa suis opibus spoliat, & omnino existimat impune sibi quiduis licere. Et quemadmodum Israelitæ cum intelligerent plane ad terram Canaan ascendendum esse, temere contra mandatum Dei cum hostibus suis congregiuntur. Ita cum inter nos Euangelion frequenter incalceatur, plurima auditorum pars non ueretur palā dicere. Agite, siquidem omnino nec esse habemus Euāgelici esse, negligamus sacra, auferamus sacerdotibus sua bona, occidamus impios sacrificulos, breuiter pro libidine nostra uitam ducamus etc.

Sed quid

IOANNIS BRENTII.

Sed quid his moribus fiet? Cum Israelitæ pro libidine suæ temeritatis, mandatum domini contēnerent et aduersus Amalecitas pugnarent sanguinolenta capita domum retulerunt. Sic enim scribitur.

Descendit Amalecitas & Cananeus qui habitabant in montibus, & percutientes eos atq; conidentes, persecuti eos usq; ad Horma.

Ita hi nostri præpostere Euangelion complectentes & temerario animi impetu quiduis pretextu Euangelij audentes, nisi alia studia sectentur, cruenta tandem capita, æquissima temeritatis suæ premia referent. Proinde, amicissimi, abiecta omni temeritate

ita Euangelij prædicationem sequamur, ut omnia nostra studia ad Euangelij præ-

scripta componamus, et sanctis

moribus nomen Christi

etiam inter impios,

commendamus, quo

fiet,

ut fide in Christum

iustificati ueram & perpe-

tuam salutem adsequamur. In eo

dem Christo Iesu domino nostro, qui

est Deus laudandus in secula, A M E N.

Q Histo

# HISTORIA

SEXTA DE SERPENTIBVS IG-

NITIS NUMERI 21.

## HOMILIA VICESIMA SECVNDA

**I**N EA HISTORIA, AMICISSIMI, QVAM DE exploratoribus ad considerandam terram Canaan misis, scriptam legimus, iram pariter & misericordiam Dei obseruauimus. Ira enim est, quod Deus propter Israelitarum impietatem, incredulitatem, ingratitude[m], & infidelia murmura, totius gentis interitionem meditat[ur]. Rursus misericordie est, quod propter orationem Mosi fide plenam, peccata clementer remittit, et eis misericorditer ignoscit. Igitur quo ira & misericordia Dei nobis cognobiliores reddantur, & ira quidem eius a peccatis nos deterreat, misericordia autem ad fidem inuitet, pergemus nunc ad enarrandam aliam historiam, in qua similiter ira Dei ob peccatum, & clementia eius propter fidem nobis ob oculos ponitur. Porro, quam ad eam rem ostendendam, aptam & idoneam iudicauimus, ea scripta est, in Numeris capite uicesimo primo, de serpentibus ignitis, quos dominus in castra Israelitarum, propter im-

pid

IOANNIS BRENTII.

pia ipsorum tedia & murmura immisit, ut uenitatio suo morsu, eadem impijs inferre[n]t & rursus eos sanauit, qui serpentem aneum iussu suo a Mose exaltatum, aspexerunt.

Principio autem, uideamus pro more nostro quanta autoritate ea historia nobis in exemplum commendetur, ne existimemus eam propter ludcos tantam & non potius propter nos scriptam. In priori ad Corinthios Epistola capite decimo, Paulus ita inquit. Ne tentemus Christum sicut quidam illorum tentarunt, & a serpentibus extincti sunt. Auditis manifestissime historiam illam de serpentibus ignitis, ad erudicionem & doctrinam nostri scriptam esse? Hec omnia (inquit Paulus) figura contigerunt illis. Scripta uero sunt propter admonitionem nostri, in quos termini etatum inciderunt. Et quo maiori attentione hanc historiam complectamur, autoritate Christi nobis commendatur, qui, autore Euangelista Iohanne capite tertio, ita ait, Sicut Mose exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat uitam eternam. Vides non solum in admonitione nostri sed etiam ad cognitionem Christi pertinere, ut ea historia nobis quam notissima & expositissima sit. Igitur que de serpentibus ignitis & serpente aneo in deserto exaltato, Mose scribit, ea ferme hec sunt.

Q ij

Profecti

**HOMILIA VICESIMA SECVNDA**

Profecti sunt Israelitę de monte Hor, per viam quę ducit ad mare rubrum vt circumirent terram Edom, Et tedere cępit populum itineris ac laboris, locutusq; contra dominum & Mosen ait. Cur eduxisti nos de Aegypto vt moreremur in solitudine? deest panis, non sunt aquę, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.

Iterum tedia, indignaciones, iterum murmura, iterum respectus ad Aegyptum, quę quid aliud sunt quam manifestissima incredulitatis argumenta? Etenim quemadmodum fides, spe promissę rei, omne dilationis tediũ deuorat, omnẽ laborem patienter et alacriter tolerat, omnia aduersa æquo animo suffert, ea quę a tergo sunt obliuiscitur, & ad ea quę a fronte sunt enititur, reuelationem rerũ promissarum tolerantissime expectans. Ita incredulitas quauis uel horaria promissarum rerum dilacione, tedio afficitur, quęcunq; aduersa acciderint, impatientissimo, et iniquissimo animo suffert, execraciones et uirulentias non tam aduersus homines quam Deum indignantisime efflat, & ea quę a fronte sunt prorsus fastidians subinde, ad ea quę a tergo sunt respectat. Quibus moribus cum Israelitę aduersus Deum & Mosen inuehuntur, nonne palam incredulitatis suę affectum produunt? Et illi quidem iam dudum una cum affectu & moribus suis mortem obierunt.

Idem

**IOANNIS BRENTII.**

Idem tamen affectus, ijdemq; plane mores, nunc in nobis superstitibus reuiuiscunt, et palam se se ostentant Nam postquam aliquot iam annis sub ignea Euāgelij columna ex papistica Aegypto in eremo ludibriorum, contumeliarum, et persecucionũ ambulauimus, & semper pacatiore rerum statum sperauimus, maiores autẽ & grauiore subinde calamitates imminent, omnis mora, etiam pusilla, longissima uidetur, et alius quidem aduersa iniquissime tolerat, alius uirulentissime Euāgelij nomen execratur, alius iterum ueterę religionẽ in papatu probat, et fortunam eius religionis cõmendat. Multo (inquiens) felicitior rerũ fortuna nobis in religione papistica arridebat, quin igitur ad eam quasi postliminio redimus? et alia multa impuirsissima multorum ora euomunt, quę longum esset enumerare, quibus rebus, quasi forex, suo inditio extrema cordis incrudelitas proditur.

Quod in tota Euangelij racione contingit, hoc idẽ uidemus in certis promissionibus contingere. Est inuenire plerosq; qui aliquot annis in deserto paupertatis ambulauerunt, et ex promissione Dei, quę est de benedictione panis quottidiani, opinionem conceperunt, se terram fluentem lacte et melle (hoc est) multos diuiciarum thesauros acquisituros, at cum excuciant peras suas, semper inueniunt eas uacuas. Quid tum fieri solet? promissio Dei ridetur, murmuratur,

Q ij male

HOMILIA VICSIMA SECUNDA.

maledicitur, ad Aegyptum respicitur, ad nugas, per iuria, imposturas, in mercimonijs emendis & uendendis festinatur, ut quæ diuicie nõ potuerint opinione et promissione diuina concepta parari, dolis, nugis et imposturis parentur. Sunt alij, qui in eremo egritudine corporalis, aliquot annis ambularunt, hi posteaquam aliquamdiu dolores sustinuerunt, opinione sanitatis consequenda et consolacione scripturaru concepta & morbus subinde inualescit, mox conuicia in scripturam diuinam, blasphemias in Deum, et pessima quæq; maledicta in proximos suos, mira impudẽcia expuunt. Posset ne apertius extrema cordis incredulitas prodire?

Sed quid profuerit scire quibus signis & argumentis, cordis incredulitas manifestetur? Ad peccati cognitionem multum proderit. Siquidem, tanta est hominum ignorancia, tamq; desperata cecitas, ut manifestam incredulitatem non sentiant esse incredulitatem, sed existimant esse summam sapienciam & eximiam industriam. Vt igitur ex operibus, sicut ex fructibus arbor, incredulitatis peccatum agnoscat, maxime prodest scire, qui sint incredulitatis fructus, & quæ argumenta. Huc quoq; facit supplicium Dei, quod in credulis infertur ut si illi non uelint peccati turpitudinem ex lege, cogantur eam et supplicio agnoscere. Itaq; cum Israelitæ infidelitate peccarent, et eam murmure suo proderent, ac seipso in eo peccato iustificaret misit dominus in populum ignitos serpentes, qui uene-

IOANNIS BRENTII.

no suo quos morderent inficerent, et infectos occiderent. Qua pœna, non ob hanc causam illi affecti sunt, quod ea sit pro peccato commisso satisfactio, et propiciatio, sed ut esset partim illis disciplina, qua ad peccati sui agnitionem ducerentur, partim alijs exemplum, quo ad resipiscenciam inuitarentur.

Sed quoniam nos aliena exempla minime hactenus mouerunt ut resipisceremus iustissimo dei iudicio fit, ut et nos nunc ignitis serpentibus plectamur. Nihil iam dico de fame, nonne primum sudor anglicus, deinde paulo post subsecuta pestis, uere igniti serpentes sunt, qui morsu uenenato, multos interfecerunt? Nunquid, ut hac pœna satisfaciamus aut potius satis paciamur pro peccatis nostris? Sed nullum est humanum factum quod satisfacere, nulla humana passio quæ satis pati pro peccatis possit. Unus dominus noster Iesus Christus pro peccatis satisfecit, et satis passus est. Proinde cum deus uno tempore, non una, sed multis calamitatibus nos uisitat, nõ existimemus eo plura peccata expiari quo plures ac maiores sunt calamitates, sed sentiamus eo grauiore esse mole peccatorum nostrorum, quo grauiores sunt afflictiones. Hoc enim sibi uult deus supplicij quibus nos his temporibus afficit, nõ ut perdat nos sed ut seruet nos, hoc est, ut inducat nos in agnitionem peccatorum nostrorum. Agnitis aut peccatis inuitet nos ad fidem in Iesum Christum qui est pro peccatis satisfactio. Fi-

HOMILIA VICESIMASECVNDA.

peccatis liberati dignos pœnitentiæ fructus faciamus  
Hoc est consilium, hoc est iudicium Dei, propter quod  
nos affligit.

In quo ergo peccauimus? Alius quidem peccatum  
nostrum dicit esse, quod Missas papisticas intermitta-  
mus, quod uescamur carnibus tēpore quadragesima-  
li, quod non pro more ad diuorum templa peregrine-  
mur, quod statas preces non obseruemus, & alias plu-  
res id genus nugas. At iam dudum per Euangelion Ie-  
su Christi ostensum est Sacrificia missatica esse impias  
in Christi passionem blasphemias. Itaq; ea intermitte-  
re, non est impietas, sed pietas & obsequium Dei, De  
ābis item nouimus puris ōnia esse pura, et quod per  
os intrat non inquinare hominē. Sæpenumero quoq;  
ueram peregrinationum, precum et aliarum reru,  
de quibus nunc est controuersia, rationē caritati ue-  
stræ tradidimus, quam modo commemorare, superua-  
caneum est. Proinde alio uertamus oculos nostros, et  
ea que sunt uera peccata, dispiciamus.

Et primum quidem reperiemus extremū contem-  
ptum ac fastidium, et quod sceleratius est, pertinax  
odium Euangelij de Iesu Christo, cui accedunt, fremi-  
tus et calumnie, quibus omnis aduersitatum culpa in  
Euangelion reijcitur. Existimatis ne hoc peccatum le-  
uis esse momenti? certe, si nescis, superat, autore Chri-  
sto peccata Tyri, Sidonis, Sodomorum & Gomorrhæ.

Deinde

IOANNIS BRENTII.

Deinde autem inueniemus scortationem, immundi-  
ciam auariciam, Imposturas, amarulentiam, tumorē,  
obscœnitatem, stultiloquium & alia in numerabilia  
scœlera. Putas ne & ista pro nihilo esse ducenda? at  
tanta sunt flagitia quod propter ea, ut Paulus dicit,  
uenire solet ira Dei in filios inobedientes & intra-  
ctabiles, & qui talia agunt, regni Dei heredes non  
erunt. Ad hæc igitur scœlera agnoscenda, affligit nos  
dominus his temporibus uarijs supplitijs ut turpitu-  
dinem eorum agnoscetes, respiciamus & ad domi-  
num conuertamur. Sed redeamus ad ignitos Israeliti-  
rum serpentes. Sic enim sequitur.

Ad quorum plagas & morte plurimorū uene-  
runt ad Mosen, atque dixerunt, peccauimus  
quia locuti sumus contra DOMINVM & te ora-  
ut tollat a nobis serpentes.

Preclare dixit Themistocles, Atheniensium dux,  
se platanis persimilem esse, ad quas tempestate com-  
prehensi confugunt, sed adueniente serenitate illas  
pretereuntes uellicant, & discerpunt, Hæc enim ser-  
me est bonorum magistratum sors, quod rebus pro-  
spere succedentibus a uulgo conuicijs proscinduntur,  
& magnis contumelijs afficiuntur. In aduersis autem  
uulgus ad eos, tanquam ad tutum asylum confugit, &  
ab ipsis omne auxilium expectat. Vel unus Mose sa-

Q. v. tis in

HO MILIA VICESIMA SCEVND A.

Satis in hac re documenti prebet. Nam cum antea Israelita Cananeum uicissent, & urbes eius subuer-  
tissent, adeoq; felici uictoria potirentur. Incipit eis  
Mose esse contemptui, & cum paulo longius infelici-  
ter proficiscerentur, indignantur, conuiciantur, &  
murmurant aduersus Mosen, quod eos ex Aegypto  
eduxisset, Nunc autem postquam presentem pla-  
gam & mortem sentiunt, ad Mosen uelut ad Asylum  
festinant. Mose supplices fiunt, peccatū agnoscunt, &  
obsecrant, ut Mose pro ipsis oret, hoc ipso nobis mul-  
to meliores, alias pessimi omnium homines, propte-  
rea quod illi sua peccata agnoscunt & confitentur.  
Nos uero nec, si plectamur, et presentem afflictionem  
sentiamus, peccatum agnoscamus, potius aut iustifica-  
mus, et si illud uerecunde nō licet, certe extenuamus,  
tanta nos tenet propriæ nostræ iusticiæ affectatio. At  
his moribus nunquā nec ad ueram iusticiā nec ad uerā  
salutem perueniemus. Agnoscenda sunt peccata, con-  
fitemenda sunt scelera, et orandū est, pro nobis inuicem  
ut peccata nobis remittentur. Vnde et Mose pro po-  
pulo orauit. Tametsi enim iterum oportunam ultionis  
occasionē habeat qua posset conuicta prius ab Israelitis  
in se coniecta uindicare, absit tamen ab animo Mose  
piissimo omnis uindictæ libido. Itaq; quod ante sæpe  
fecerat, omnis iniuriæ sibi illatæ oblitus nunc rursus  
pro populo suo intercedit, ut simul & peccatum &  
supplitiū ab eis auferatur. Sed

IOANNIS BRENTII

Sed qua tantem fiducia Mose nunc audet Deum  
de uenia peccati & remissione pene compellare, cū  
manifestam uideat iram & indignationem Dei? Om-  
nis autem ira contumax est, & ita inexorabilis, ut  
oratione plerunq; non mitigetur, sed iritetur, quid  
ergo Mosen ad preces animat? Nihil iam dicam de  
promissionibus misericordie diuinæ quæ fidem etiam  
in media ira Dei ad preces excitant. Sed de ipsa sup-  
plitij ratione, quæ quod est admirandum, non medio-  
cre misericordie diuinæ specimen exhibet. Tunc enim  
uere DOMINVS irascitur, tunc confirmata est eius  
indignatio, nec ulli misericordie spes emicat, cum pec-  
catores ita derelinquit, ut eos non plectat, sed tradat  
eos in cupiditates cordium suorum, ut suoapte arbi-  
trio serantur, quo libet. Vnde in Ezechiele dominus  
de salute Hierusalē, ut humano more loquar, desperās  
ait. Requiescet indignatio mea in te, et auferetur ze-  
lus meus a te, et quiescam, nec irascatur amplius. Qua  
pœna nō potuisset maior excogitari. Vbi enim domi-  
nus irascitur, & supplitia infert, ibi adhuc multa cle-  
mentie eius spes reliqua est, Quem enim diligit domi-  
nus corripit, & castigat omnem filium quem respi-  
cit. Non erudit pater filiū nisi quem amat, Non corri-  
pit magister discipulum, nisi eum quem ardencioris  
cernit ingenij, Medicus si cessauerit curare despe-  
rat. Proinde Mose, uidens dominum Israelitas ignitis  
serpentibus punire, animaduertit ex ipsa pœna Do-

HOMILIA VICESIMA SECVNDA.

Dominum nondum esse penitus ab ipsis auersum, & adhuc superesse locum misericordie, quare obsecrantibus morem gerens, ad Deum pro ipsis ex fide clamat, & impetrat supplij remedium. Dixit enim dominus ad eum.

Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo. Qui percussus aspexerit eum uiuet.

Quid hoc obsecro remedij est? Serpentes igniti morbo infecerunt, & serpens mortuus sanitatem restituet? Serpentes uiui mortem intulerunt, & serpens mortuus uiuificabit? Certe quod dominus de serpente dicit, non est mendacium, sed re ipsa comprobatum. Sic enim sequitur.

Fecit Mose serpentem æneum, quem cū percussi aspicerent, sanabantur.

Quid ergo dicemus? num tanta æris ac figuræ serpentina uirtus, ut possit aspicientes sanare? Minime omnium. Sed & Psalmus ait. Misit dominus uerbum suum et sanauit eos. Non enim serpens æneus, sed uerbum dei, quo serpens ad aspiciendum instituitur, sanitatem aspicientibus attulit. Qui percussus (inquit) aspexerit eum, uiuet. Hoc uerbo effectum est, ut aspicientes serpentem æneum sanitatem recuperauerint. Nec mirum. Deus enim is est, qui uitæ restituit mortuos, ac uocat ea que non sunt, ut sint. Proinde, nihil est tam abiectum, nihil tam contemptum, nihil tam diuersum,

IOANNIS BRENTII.

uersum, nihil tam contrarium, quod non id exequatur, & peragat, ad quod dominus uerbo suo illud uocauerit. Ita uocauit dominus salem Elize, & sanauit fontes Hierichontis. ita uocauit aquam Iordanis, & expurgauit lepram Naemani. ita uocat aquam baptisimi, & abluuit sordes peccatorum in credentibus, ita uocat panem cene dominice, & est corpus Christi ac confirmat fidem accipientis. Ita hoc loco uocat serpentem æneum & sanat aspicientes.

Nunquid tanta uis est æris, per se absq; uerbo Dei uocantis, consideratis? Nequaquam. Quicquid enim habet uirtutis, a uocante Deo habet. Accedit uerbum uocantis Dei, ad serpentem æneum & sanat serpentis æneus. Aufer rursus uerbum uocantis Dei, a serpente, & nihil remanet, nisi æs inane, & inefficax. Hinc est, quod cum Israelitæ hunc æneum serpentem propter rei miraculum conseruassent, & posterius, ex superstitione coram eo incensum adolerent, usq; ad tempora regis Hiskie, confregit eum Hiskia, & contudit, ac contemptu quodam uocatus est Nehuschan, hoc est, æhenulus, quo cognomine significatum est, eum plane, nihil aliud per se esse, quam inane æs. Siquidem statim post sedatam hanc plagam, quam Israelitæ in deserto a serpentibus ignitis acceperant, cessauit uocatio Dei, qua cessante, nihil in serpente æneo relictum est preter æs, & figuram.

HOMILIA VICESIMA SECVNDA

At longe alia est ratio illius serpentis, quæ æneus adumbrat. Non enim ut in hoc, ita in illo uocatio Dei cessat. Hic ad tempus sanauit, ille sanat perpetuo. hic medicamentum attulit aduersus uenenum serpentis corporalium, ille affert medelam aduersus uenena serpentis & draconis spiritualis, qui morsu suo totum orbem inficit, hic sanitatem corporalem & mox morte occupandam aspicientibus contulit, ille credentibus sanitatem, qua sempiterna agitur felicitas, confert.

Quis est igitur serpens ille, ab æneo serpente adumbratus? Audiamus quo modo ipse sese explicet. Sicut (inquit) Mose exaltauit serpentem in deserto ita exaltari oportet filium hominis ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat uitam æternam. Quis est ille filius hominis, nisi is qui hæc uerba loquitur, Iesus Christus dominus noster, quid ad similitudinẽ ænei serpentis, primum exaltatus est cruce, deinde resurrectione, unde quemadmodum serpens æneus aspectu ueneno infectos sanauit, ita Christus õnes eos qui ueneno satanæ morsu, sempiternæ morti et damnationi obiecti, per fidẽ ipsum aspiciunt ueræ sanitati restituit. Proinde aspiciamus hunc nostrum serpentem uera fide, et credamus in Iesum Christum, ut per fidem in ipsum iustificati perpetuam uitam consequamur, in eodem Christo Iesu domino nostro, qui est Deus laudandus in secula, AMEN.

ERRATA SIC CORRIGE.

E. quin. linea sexta facie secunda, quod gesturus sum.  
 H. 2. facie secunda linea. 12. lege tristis sinus patitur. Porro hic locus ex Solino descriptus est.  
 K se primo facie prima, quosuis obuolos  
 M secundo facie secun. Etsi uenter  
 M septimo facie prima quem portauerunt in uectre

VITEBERGAE PER IOAN:  
 NEM VVEISS. ANNO  
 M. D. XXXII. MEN:  
 SE FEBRVA.

ERRATA SIE CORRIGE

E. quia lina f...  
H. - f...  
M. - f...  
K. - f...  
N. - f...  
L. - f...

VIRIBUS PER IOAN  
NEM VVBISS. ANNO  
M. D. XXXII. MEN  
SE FEBRV.

In genesin

In Esaiam

In Galatas

78

R III II

628ba